DE
ACTORUM PUBLICORUM CURA
APUD GRAECOS.

CAPUT PRIMUM. DE FOEDERIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

CONSCRIPSIT

CAROLUS CURTIUS

LAUENBURGENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXV.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

ERNESTO CURTIO

PATRUO DILECTISSIMO

HERMANNO SAUPPIO

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS ET OPTIME DE ME MERITIS

HASCE STUDIORUM MEORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

gn
tit
se
At
tra
be
et
Se
ce
pe
po
At
us
sc

su
r
n
t
n

Καλόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καλὸν ἡ τῶν δημοσίων γραμμάτων φυλακή. Aeschin. c. Ctes. §. 75.

Quod Cicero de legibus III, 20 dicit „Publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius", quo jure de Romanis dictum esse videatur, Th. Mommsenius [1]) inquisivit; apud Graecos autem, et imprimis apud Athenienses qualis fuerit actorum publicorum cura, neminem tractasse video, nisi quod Biagius [2]) de materia, in qua inscribebantur decreta, et de actorum collocandorum procuratione et Franzius [3]) de formulis titulorum nonnulla composuerunt. Sed cum tituli Atheniensium, quorum cognitio Biagio concessa erat, paucissimi fuerint, nec minus post Franzii tempora permulti lapides Athenis effossi sint, quibus novi aliquid elici posse puto, non alienum erit collatis omnibus inscriptionibus Atticis et gravissimis scriptorum testimoniis de ratione, qua usi sint Athenienses in actis reipublicae et collegiorum inscribendis ponendis custodiendis, quaestionem instituere.

Literarum autem publicarum tria genera distingui possunt; aut enim in aere lapideve incisae monumentorum instar collocantur, ut etiam posteris [4]) memoria actorum, quae continent, servetur; aut in albo ligneisve in tabulis inscriptae per aliquantum temporis publice proponuntur ad rem aliquam civibus indicandam, aut chartis ce-

1) In annalibus instituti Romani 1858 p. 183 sqq.

2) De decretis Atheniensium, Romae 1785 cap. XXVIII et XXIX.

3) Elementa epigraphices Graecae 1840 append. I p. 318 sqq.

4) *Στήλη παραδόσιμος* Polyb. XII, 10.

raeve traditae in tabulariis sive reipublicae sive singulorum collegiorum et pagorum deponuntur, ut ibi in certum ordinem redactae, si quando iis opus fuerit, facile inveniri et inspici possint. Quia autem prima inscribendi ratio et sanctitate atque vetustate excellebat et veterum quam maxime propria erat, nobis imprimis de monumentis publicis, in quibus foedera, leges, decreta incidebantur, agendum est.

§. 1.

Sed laus, quam Cicero l. l. Graecis tribuit, non pariter ad omnia tempora referri potest. Contra enim constat, in Graecia literas, quamquam jam priscis temporibus ex oriente allatae erant, tamen tarde [1]) in usum quotidianum receptas esse, id quod non solum cognomine *Φοινικήϊα γράμματα* [2]), quo tanquam res peregrina appellabantur, sed magis etiam eo probatur, quod tituli ante saeculum quintum conscripti paucissimi ad nos pervenerunt, et ii quidem fere omnes non ad rempublicam sed ad cultum Deorum atque donaria iis dedicata pertinent. Quae inscriptiones plerumque non in lapidibus proprie in hunc usum confectis sed in ipsis donariis incisae, ut in tesseris (C. I. Gr. Nr. 4), galeis (C. I. 16), fundamentis statuarum (C. I. 1. 10), vasibus fictilibus (C. I. 7), tripodibus [3]), clypeis [4]), mera nomina dedicantium vel epigramma aliquod praebebant, aut, si in peculiaribus columellis inerant, paucissima tantum verba [5]) continebant. Sic de mulctis, quas *Ἑλλανοδίκαι* propter praeceptorum de ludis publicis constitutorum violationem impenderant (Paus. V, 21, 17), *ἐλεγεῖα ἐς ἀγάλματα* ex mulctis dedicata (V, 21, 4. 6) inscribebantur, et victorum nomina jam ex Coroebi tempori-

---

1) Cf. Joseph. adv. Apion. I, 4. Nitzsch, de hist. Hom. I, p. 26.

2) Suid. v. et Herod. V, 58.

3) Herod. V, 59.

4) Pausan. VI, 19. 5 *τὰ δὲ ἐπὶ τῇ ἀσπίδι γράμματα παρῆκται μὲν ἐπὶ βραχύ, πέπονθε δὲ αὐτὸ διὰ τοῦ ἀναθήματος τὸ ἀρχαῖον.* De inscriptionibus, quae in clypeis, ipsis statuis vel earum fundamentis, vel *ἐν πινακίοις* artificum operibus affixis insculpi solebant, complura composuit Schubart (Archaeol. Zeit. 1862 S. 248).

5) O. Müller, Dorier I, p. 135.

bus (Paus. V, 8, 3) cum Olympiae (Paus. VI, 13, 1) tum aliis locis columellis incidebantur, id quod docent *μνῆμα* Lygdamis Syracusani *πρὸς ταῖς λιθοτομίαις* positum (Paus. V, 8, 8) et *λιθίνα ψᾶφος* apud Megarenses, quam Pindarus in carm. Olymp. VII, 86 [1]) commemorat. Nec minus ad religionem pertinebant cippi, locorum sacrorum termini (*ὅροι*) [2]) jam antiquissimis temporibus positi, quibus pauca verba insculpta fuisse verisimile est, et columna de pompa aliqua ab Eretriensibus in sacro Dianae Amarynthidis collocata [3]) et altera de lege ad regum uxores pertinente, quam Athenis jam ex Thesei temporibus *ἀμυδροῖς γράμμασιν Ἀττικοῖς* perscriptam in sacro Dionysi *ἐν Λίμναις* stetisse testis est Demosthenes (59, 76) [4]). Omitto magistratuum et regum catalogos, ut archontum apud Athenienses, Heraclidarum apud Lacedaemonios et Eleos, Bacchiadarum apud Corinthios [5]), et oraculorum collectiones, quas non solum Delphis [6]) sed etiam Lacedaemone [7]) et Athenis [8]) ex antiquissimis temporibus fuisse scimus, quia has *ἀναγραφάς* non in tabulis vel columnis publice propositis sed in chartis scriptas in archivis regum vel magistratuum asservatas esse, tum per se intelligitur, tum ex Timaeo [9]) concluditur, qui *τὰς ἀναγραφὰς τῶν πόλεων* sejungit ab inscriptionibus, quas invenit in columnis et in postibus templorum incisas.

Multo autem tardius quam in usum sacrum scriptura in usum publicum admissa est, cujus rei causa non solum in eo, quod Graeci prioribus temporibus omnino a scribendo abhorrebant, sed etiam in rerum publicarum forma, qua tum

---

1) Cf. Dissen ad h. l. 2) De cippis terminalibus cf. C. Fr. Hermanni disput. de terminis eorumque relig. ap. Graec. Gott. 1846. p. 9 sqq.
3) Strabo, X. p. 448. 4) Wachsmuth, hellen. Alterthumsk. II. p. 750. 5) Veterum testimonia vide apud O. Müllerum et Wachsmuthium l. l. 6) Plut. vit. Lycurgi c. 26. Vaticinia in pellibus inscripta (Euripid. Plisthenes apud Cramerum Anecd. III, 373), in cistis ligneis (Phot. v. *ζύγαστρον*) asservabantur. Cf. J. Schubring de Cypselo. Gott. 1862 p. 54. 7) *Παλαιόταται ἀναγραφαί* Plut. adv. Colot. 17 et vit. Agesil. c. 3. Wachsmuth II, 798 sqq. 8) Dinarch. adv. Dem. §. 9. Plut. Nic. 13; oracula in arce servata (Her. V. 90) ab Onomacrito collecta sunt (Her. VII, 6). 9) Apud Polybium XII, 11.

civitates illorum utebantur, posita esse videtur. Nam antequam literarum cognitio ad Graecos pervenisset, leges a majoribus traditae eo civium memoriae tradebantur, ut cantando recitarentur [1]). Neque tum opus erat legibus scriptis. Quamdiu enim cives inter urbium et agrorum fines coercebantur, in civitatibus, quae ex patriis moribus regebantur, plus valebant *τὰ ἄγραφα νόμιμα* [2]), quam postea leges accuratissime literis mandatae. Posterioribus autem temporibus ab optimatibus vel tyrannis, qui civitates ex arbitrio suo regebant, prohibebatur, quominus leges scriberentur, quia illorum non intererat, ut omnia publica fierent, et hac ratione populus ad rem publicam accederet. Contraria ratio valuit, ex quo in civitatibus Ionicis populus summa rerum potitus est, ita ut recte dicat Strabo [3]): *νόμοι Ἰωνικοὶ πρόκεινται δημοσίᾳ.* Quocum convenit, quod tabulae (*κύρβεις*) legibus inscribendis aptae pro Corybantium [4]) invento habebantur; nam Corybantium cultus una cum Rheae veneratione ex Asia [5]), ubi Ionum urbes oris adjacebant, in Graeciam pervenit. Sic Athenis ad optimatium licentiam cohibendam primum a Draconte saeculo septimo leges conscriptae, deinde saeculo sexto Solonis leges in tabulis incisae sunt [6]), et magis etiam post bella cum Persis gesta omnia acta reipublicae et magistratuum literis mandata sunt, ita ut, quod Cicero [7]) de Temnitis narrat, eos fuisse conficiendarum literarum diligentissimos, non minus de Atheniensibus dicendum esse videatur. In plurimis autem Doriensium civitatibus cum etiam posterioribus tem-

1) Aristot. problem. XIX, 28 (Bekker II. p. 919): *πρὶν ἐπίστασθαι τὰ γράμματα ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται.*

2) Plat. Legg. p. 793; Aristot. Pol. p. 90, 30 (Bekk. 1855): *ἔτι κυριώτερα τῶν κατὰ γράμματα νόμων οἱ κατὰ τὰ ἔθη εἰσίν*; ib. p. 87. 203, 19. Diog. Laert. III, 86; Stob. Flor. II, p. 138 (Meineke). De *νόμοις ἀγράφοις* cf. K. F. Hermann üb. Gesetz, Gesetzgeb. u. gesetzgeb. Gewalt im griech. Alterth. (Abh. d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen IV, p. 28 sqq.)

3) IV. p. 179. 4) Theopomp. apud Scholl. Ar. av. v. 1354 (Müller, fragm. historic. graec. I, p. 326): *κύρβεις. ἀπὸ τῶν κορυβάντων· ἐκείνων γὰρ εὕρημα.* cf. Tzetz. Chil. XII, 357. 5) Preller, Griech. Myth. I, 516. 6) Gellius, noct. Att. II, 12. Preller ad Polemonis fragm. 48 p. 88 sqq. et infra Cap. II. 7) Pro Flacco c. 19, init.

poribus optimates imperium tenerent, ibi non eodem modo quo apud Ionicas omnia propalam fiebant, sed, ut unum tantum exemplum afferam, Lacedaemoniis a Lycurgo interdictum est, ne νόμοις ἐγγράφοις [1]) uterentur [2]).

Cum igitur literarum usus in sacris antiquissimus esset, foedera autem ad religionem pertinerent, factum est, ut pacta prius quam leges in monumentis publicis inscriberentur. Quare etiam nos primum de foederibus agemus.

Cap. I. De foederibus.

§. 2.

Antiquissima foedera, quorum memoria ad nos pervenit, non propriis tabulis ad hunc usum factis, sed donariis inscribebantur, quae aut una cum pactione dedicabantur, aut jam antea in templis erant, quam ad rem ea tantum donaria adhibebantur, quae materia, ex qua confecta erant, fir-

---

1) Plut. vit. Lyc. c. 13.

2) Ipsae autem Lycurgi rhetrae, quae non jus privatum neque omnino leges prolixiores, sed nil nisi pauca praecepta vel pacta (Nitzsch de hist. Hom. I. p. 51 sqq.) de gravissimis reipublicae institutis inter partes dissociatas conventa continebant, neque sicut oracula versibus (Götting. Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. I, p. 136 sqq.) sed oratione soluta (L. Urlichs Rhein. Mus. N. F. VI, p. 234) perscriptae erant, num jam Lycurgi temporibus literis mandatae sint, dubitatur; negatur enim a Schoemanno (Griech. Alt. I, 230), affirmatur ab O. Müllero (Dorier I, p. 135) et K. F. Hermanno (Staatsalterth. §. 23, 5). Hoc tamen pro certo haberi potest, rhetras non in publicis munimentis incisas omnium oculis patuisse, quamquam fortasse cum Urlichsio (l. l. p. 220. 234) statuendum est, eas sicut Epimenidis (Suid. v. et Paroemiogr. Gr. edd. v. Leutsch et Schneidew. I, p. 309) vaticinia in pellibus inscriptas et in ephororum archivis asservatas esse. Cf. Paus. V, 4, 4: Λυκοῦργον τὸν γράψαντα Λακεδαιμονίοις τοὺς νόμους. Pelles enim apud Graecos antiquitus, antequam papyri copia esset, scribendo inservisse, cum ex eo colligitur, quod antiquissima Athenarum vaticinia iis inscripta erant (Lobeck, Aglaoph. I, p. 311), tum testis est Herodotus (V, 58), quo auctore apud Iones omnes libri διφθέραι vocabantur (Paroemiogr. Gr. II, p. 87). De alia materia, qua Graeci antiquissimis temporibus ad scribendum utebantur, ut plumbo scytalis, vide Nitzschium l. l. p. 72 sqq.

mitatem quandam praebebant, velut ahenea[1]). Illa autem plerumque non in urbibus, inter quas aliquid conveniebat, sed in sacris toti Graeciae communibus et imprimis quidem Delphis et Olympiae deponebantur[2]). Cum enim Delphi, qui *κοινὴ τῆς Ἑλλάδος ἑστία*[3]) existimabantur, et Olympia, quae antiquissimo Jovis cultu ab Hercule instituto inter omnes urbes insignis erat, tum temporis Graeciae quasi centra essent, quo ad ludos publicos celebrandos Deorumque venerationem omnes Graeci conveniebant, illa loca in majore honore servandisque pactorum monumentis magis idonea erant, quam singulae urbes earumque templa et arces.

Ibi enim foedera non solum in loco quam maxime conspicuo ponebantur, sed etiam Diis sive Apollini Pythio sive Jovi Olympio custodienda tradebantur. Qua de causa Theseus pacem cum Adrasto de amicitia inter Athenienses et Argivos constituenda iniens jusjurandum ab Adrasto postulatum in tripodis ahenei alveo[4]), quem Delphos dedicaturus est, inscribere a Minerva jubetur apud Eur. Suppl. 1210 sqq.:

---

1) Contra Romani antiquissimis temporibus, quibus *χαλκαῖ οὔπω στῆλαι ἦσαν* (Dion. Hal. antiq. Rom. III, 36) tabulis ligneis (*δρυΐναις σανίσιν* ibid.) vel pellibus victimarum, quae in paciscendo mactabantur, clypeo ligneo inductis (*ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοείᾳ περίτονος* Dion. Hal. IV, 58) usi esse videntur, velut in foedere a Tarquinio Superbo cum Gabiis facto, quod in clypeo inscriptum usque ad Dionysi tempora in templo Jovis Capitolini exstabat. Cf. G. T. A. Krüger ad Hor. ep. II, 1. 25. Peter, Gesch. Roms I, 52. Neque tamen antiquitus pilarum usum defuisse, probatur foederibus, quae Romulus cum Vejentibus (Dion. Hal. II, 55) et Tullus Hostilius cum Sabinis (ib. III, 33) iniisse ferebantur. Cf. W. A. Becker, Handb. d. röm. Alterth. I, 18.

2) Cf. Schömann, antiq. jur. publ. p. 373. K. W. Krüger, hist. philol. stud. I, p. 82. 123.

3) Plut. Arist. c. 20.

4) Simili modo Schubart (Arch. Zeit. 1862, S. 246) in tripode (*ἐπὶ τῷ τρίποδι* Paus. III, 8, 2), quem Graeci post pugnam Plataeensem Apollini Delphico dedicarunt, nomina victorum incisa esse putat, et cum Ernesto Curtio (Gött. Nachr. 1861, S. 375), qui de basi tripodis cogitat, eorum opinionem impugnat, qui columnam nostro saeculo Constantinopoli repertam genuinam ducunt (O. Frick, d. plat. Weihgesch. in Constant.). Sic etiam Olympiae adspexit Pausanias (IV, 19, 4) *ἀσπίδα ἐπίχαλκον γραφῇ τὰ ἐντὸς πεποικιλμένην.*

Ἔγγραψον ὅρκους τρίποδος ἐν κοιλῷ κύτει
κἄπειτα σώζειν θεῷ δὸς ᾧ Δελφῶν μέλει,
μνημεῖά θ' ὅρκων μαρτύρημά θ' Ἑλλάδι.

Eodem modo Iphitus, postquam cum Lycurgo de indutiis per tempus ludorum Olympiorum faciendis pactus est, illas auctore Plutarcho [1]) in disco [2]), quem in templum Jovis Olympii dedicavit, inscripsit. His autem temporibus uno tantum loco et tali quidem, qui ad utramque civitatem pertinebat, pactorum monumenta collocata esse, ex Plutarcho concluserim, qui in quaest. graec. c. 5 haec habet: *Λακεδαιμόνιοι Τεγεάταις διαλλαγέντες ἐποιήσαντο συνθήκας καὶ στήλην ἐπ' Ἀλφειῷ κοινὴν ἀνέστησαν,* quibus verbis docemur, columnam, qua sine dubio praecepta de termino inter Lacedaemonios et Tegeatas constituto continebantur, utrique civitati fuisse communem. Locum autem, ubi columna posita erat, aliquo modo sacrum et fortasse sacello exstructo Diis dedicatum fuisse [3]), verisimillimum est. Sic etiam Herculis posteri Lacedaemoniis et Messeniis imperantes, cum inter eos controversiae de terminis Laconiae et Messeniae ortae essent, pactione facta „ejus rei monumenta saxis et prisco aere sculpta" [4]) in sacro Dianae Limnatidis posuerunt, quod delubrum in termino (*ἐν μεθορίοις*) [5]) utriusque terrae situm Lacedaemonios et Messenios ex antiquissimis temporibus ad communem Deae cultum convocabat [6]), et cum Dianae Amarynthidis cultu olim complures Io-

1) Vita Lyc. c. 1.

2) Cf. Schoemann, ant. j. publ. p. 378. Literas in disco in orbem ductas esse (*ἐς κύκλον σχῆμα*), testatur Pausanias V, 20, 1, qui ipse eum adhuc exstantem conspexit. Cf. K. O. Müller, Dorier I, p. 130.

3) Ern. Curtius, Peloponn. I, p. 262 de spelunca „Symbola" dicta cogitat, quae Alpheo apposita est, ubi nonnulla flumina a Parnone in meridiem versa in illum eduntur.

4) Tacit. ann. IV, 43.

5) Strabo VIII, p. 362.

6) Preller, Griech. Myth. I. 235. O. Müllerus (Dorier I, 136) in opinionem incidit, columnam post Messeniorum restitutionem confectam esse. — Complures inscriptiones prope sacrum Dianae repertas ad terminos inter Lacedaemonios et Messenios Philippi et Antigoni auctoritate denuo constitutos referendas esse, ostendit E. Curtius, Peloponnesos II. 157.

num insulae ad confoederationem [1]), et postea etiam omnes Euboeae incolae ad sacra anniversaria [2]) conjungerentur, Eretrienses et Chalcidenses post pugnam in campo Lelantio factam columnam pacis conditiones continentem nullo sanctiore loco ponere poterant, quam in templo Dianae prope Eretriam sito [3]). Hanc consuetudinem, qua columnae in finibus duarum civitatum foedere junctarum et ibi quidem in sacro aliquo ponebantur, respicit Lucianus in ver. hist. I, 20, ubi Solis et Lunae incolas (*Ἡλιώτας* et *Σεληνίτας*), inter quos discordia orta est, ad eam componendam jubet *ἐγγράψαι τὰς συνθήκας στήλῃ ἠλεκτρίνῃ* [4]) *καὶ ἀναστῆσαι ἐν μέσῳ τῷ ἀέρι ἐπὶ τοῖς μεθορίοις*.

Monumenta autem, in quibus literae exarabantur, si *στῆλαι* vocantur, haec vox proprie nonnisi de columnis lapideis intelligenda est. Nam vocabulum *στήλη*, quod ducitur a verbo *ἱστάναι* [5]), id significat, quod stat vel ponitur, et proprio sensu de pilis ex lapide confectis usurpatur, quae in terra stabant vel in eam infossae erant. Contra tabulae aheneae parietibus templorum affigebantur [6]). Apud Athenienses autem, cum ex saeculo quinto ars sculpendi magis exculta esset, omnia fere acta publica in columnis marmoreis incidebantur, quare, etiamsi in formulis non additur, ex qua materia pila conficienda sit, semper de marmore cogitandum est [7]). Cum igitur vox *στήλη* sic paullatim in notionem monumenti literis perscripti abiret, factum esse videtur, ut etiam ad significandas tabulas aheneas, quae proprie *πινάκια, χαλκώματα* [8]), *δέλτοι χαλκαῖ* [9]) audiebant, transferretur, et deinde a scriptoribus,

---

1) Preller l. l. p. 236. 2) Liv. 35, 38. 3) Strab. X, p. 448.

4) Quod columnae dicuntur succineae, non ex vera Graecorum consuetudine allatum, sed per jocum a Luciano fictum esse, vix est, quod moneam.

5) Scholl. Aristoph. nub. 448 (Dübner p. 432): *οἱ ἀρχαῖοι λίθους ἱστάντες . . . οὓς μὲν ἀπὸ τῆς στάσεως στήλας (ἐκάλεσαν)*. Cf. G. Curtium in Etymolog. graec. I, 179. 6) De pilarum forma et de ratione, qua columnae et aheneae et lapideae singulis locis collocabantur, infra disputabo.

7) Cf. C. I. 90. 98. Rang. 382 et saepissime. Cf. Biagium de decret. Ath. p. 349. 8) C. I. 1841—44 Ephem. Arch. 3703—4.

9) Soph. Trach. 683 (Schneidew.). Appian Syriac. 39.

omni materiae discrimine omisso [1]), modo de tabulis aheneis modo de pilis lapideis usurparetur. Cum autem Romanis marmoris usus non tam facile suppeteret quam Graecis, eos ad conscribenda et foedera et alia acta publica per omnia tempora imprimis aere usos esse, cum ex Suetonii [2]) testimonio concludi potest, qui Vespasianum „tria millia aerearum tabularum" sub Vitellio incendio consumptarum restituenda suscepisse narrat [3]), tum eo probatur, quod omnes tabulae, quarum mentio fit apud scriptores, aheneae dicuntur. Sic foedera facta cum Latinis Coriolano auctore a. 493 in columna ahenea [4]), cum Carthaginiensibus a. 509 *ἐν χαλκώμασι* [5]), cum Antiocho Magno a. 189 *ἐς δέλτους χαλκᾶς* [6]) et decretum Caesaris ad Judaeos pertinens *ἐς δέλτον χαλκῆν* [7]) incisa esse traduntur.

Idem in Graecia antiquioribus temporibus, quibus ars tractandi marmoris nondum exculta erat, saepius factum est, quae consuetudo cum antiquitate sacrata esset, imprimis in foederibus in communibus sacris deponendis ne tum quidem prorsus omissa est, cum omnia alia acta publica marmori inciderentur. Nam quia exemplaria, quae Olympiae vel Delphis collocabantur, quasi donaria Diis oblata existimabantur, et omnino aes pro sanctissima materia habebatur, factum est, ut etiam posterioribus temporibus illis locis foedera in tabulis aheneis inscriberentur.

Talium ut nonnullae aetatem tulerint, nobis contigit, velut foedus, quod *Οἰάνθεια* et *Χάλειον* urbes Locridis de mutuo commercio pepigerunt. Tabula ex aere confecta [8])

---

1) Sic intelligenda est glossa Nonni ad Gregor. Natianz. (ed. Etonens. 1610) p. 127: *στήλη δέ ἐστιν ἢ λίθος ἢ χαλκὸς ἐν ἐπιμήκει τετραγώνῳ σχήματι.* 2) Vespas. c. 8. 3) Becker, röm. Alterth. I p. 28.

4) Cic. pro Balbo c. 23: foedus — in columna ahenea post rostra incisum et perscriptum. Liv. II, 33. 5) Polyb. III, 26.

6) App. Syr. 39.

7) Joseph. antiq. Jud. XIV, 10, 3. cf. Biagium. l. l. p. 356.

8) Cum notis I. N. Oeconomidis instructa edita est inscriptio ab L. Rossio 1854, a Rangabeo in antiq. hell. II, p. 2 sqq., a Kirchhoffio in Philol. XIII, 1—14. Oeconomidem, qui titulum saeculo quinto tribuit, secutus est Kirchhoffius (Studien zur Geschichte d. griech. Alphabets in

ubi inventa sit, quamquam nescitur, tamen in opinionem adducor, eam Delphis, a quibus Locris non ita multum distat, Apollinis custodiae fuisse mandatam. Cui conjecturae non obstat, quod postea fato aliquo Corcyram delata ibique anno 1850 in lucem edita est. Ad summam ejus similitudinem accedit altera tabula ahenea (C. I. 11 = Franz, elem. 24), qua pax centum annorum inter Eleos et Arcades Heraeenses auctore Boeckhio circa Ol. 50, Kirchhoffio circa Ol. 70 [1]) constituta continetur. Quae cum Olympiae effossa sit, dubitari non potest, quin Jovis Olympii curae tradita fuerit.

§. 3.

Posterioribus temporibus, quibus foedera in arcibus vel in sacris singularum urbium paciscentium monumentis inscribebantur, non solum morem, secundum quem in sacris toti Graeciae communibus exemplaria deponebantur, permansisse, sed etiam, quamquam in ipsis urbibus lapidibus Graeci utebantur, tamen illis locis ex veterum consuetudine tabulas aheneas collocatas esse compluribus exemplis comprobatur [2]). Sic Pausanias [3]) Olympiae ante Jovis sacrum columnam aheneam conspexit conditiones continentem, quibus Pericles anno 445 pacem cum Lacedaemoniis iniit [4]), neque dubito, quin foedus, quod quinque annis ante Cimone auctore junctum est [5]), ibidem positum fuerit. Cum autem Graeci summo opere id curarent, ut, quae ad Graeciae salutem pertinerent, omnibus conspicua essent, tali studio non sufficiebant Olympia et Delphi, sed alii loci sacris ludisque publicis frequentes addebantur, velut Isthmus. Cujus rei praeclarum exemplum exstat apud Thucydidem [6]), qui paci Niciae [7]) additum esse tradit: *στήλας δὲ στῆσαι Ὀλυμπίασι καὶ Πυθοῖ καὶ Ἰσθμοῖ καὶ ἐν Ἀθήναις ἐν πόλει καὶ ἐν Λακεδαίμονι ἐν Ἀμυκλαίῳ* [8]). In

---

d. Abhandl. d. Berl. Akad. 1863 p. 205). Contra Rossius l. l. in praef. p. 17 de saeculo octavo cogitabat.

1) Studien z. Gesch. d. gr. Alph. p. 215. 2) Franz elem. p. 314.

3) V, 23, 4. 4) Thuc. I, 115. 5) Ibid. I, 112.

6) V, 18. 7) E. Curtius, Griech. Gesch. II. 2te Aufl. p. 517.

8) Amyclaeum in colle prope Eurotam situm neque longe a Sparta distans, olim fuisse arcem et commune Achaeorum sacrum, qui post

Isthmo exemplar deponendum praescribitur, fortasse non solum quia ludi Graecos eo convocabant, sed etiam quia Isthmus in medio Atheniensium et Peloponnesiorum situs erat, et ibi columna quasi terminus collocata est, qui neutris fide servata transgrediendus erat.

Neque tamen omnia, de quibus inter urbes aliquid conveniebat, in sacris extraneis collocabantur, sed ea tantum, quae ad totam Graeciam vel complures ejus civitates pertinebant, et imprimis quae civitates Peloponnesiacae inter se pepigerunt. Sic societas, quam post pacem Niciae Lacedaemonii cum Atheniensibus inierunt, nonnisi Amyclis et in arce Athenarum (Thuc. V, 23) inscripta est, cum *συμμαχία* illa alias civitates non amplecteretur. Inter sacra autem communia principatum tenuisse Olympiam testatur foedus inter Athenienses, Mantineenses, Argivos, Eleos, Alcibiadis opera a. 420 ictum, cui auctore Thucydide (V, 47) haec postscripta erant: *τὰς δὲ συνθήκας . . . ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ Ἀθηναίους μὲν ἐν πόλει, Ἀργείους δὲ ἐν ἀγορᾷ ἐν τοῦ Ἀπόλλωνος τῷ ἱερῷ, Μαντινέας δέ ἐν τοῦ Διὸς τῷ ἱερῷ ἐν τῇ ἀγορᾷ· καταθέντων δὲ καὶ Ὀλυμπίασι στήλην χαλκῆν κοινῇ Ὀλυμπίοις τοῖς νυνί.* In quo quam maxime notandum est, exemplar Olympiacum non proprie ab Eleis, in quorum terra Olympia sita est, sed ab omnibus, ad quos foedus pertinet, *κοινῇ* deponi, et, quamquam in singulis urbibus columnae lapideae collocantur, Olympiae ut tabula ahenea deponatur, certis verbis praescribi. Huc referendam esse etiam pacem, quae dicitur Antalcidea, concluserim ex Isocratis verbis (Panegyr. §. 120 et §. 180): *καὶ ταύτας* (sc. *συνθήκας*) *ἡμᾶς ἠνάγκασεν* (*ὁ βασιλεὺς*) *ἐν στήλαις λιθίναις ἀναγράψαντας ἐν τοῖς κοινοῖς τῶν ἱερῶν ἀναθεῖναι, . . . αὗται δ' ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ πολέμου καὶ καθ' ὅλης τῆς Ἑλλάδος ἑστήκασιν.* Nam ex verbis *τοῖς κοινοῖς* et ex eo, quod additur, nempe columnas contra totam

Doriensium invasionem ibi diutius, quam in reliqua terra Laconica remansissent, deinde Achaeis expulsis a Doriensibus, Apollinis Hyacinthii cultu ibi instituto, novo splendore exornatum esse, E. Curtius in Peloponn. II, p. 246 sqq. exposuit. De columnis in Amyclaeo positis vid. ibid. p. 318.

Graeciam stare, sequi videtur, ut illae non solum in singulis urbibus velut Athenis et Lacedaemone, sed etiam, cum Lacedaemoniis pax illa Graecorum libertati infestissima quam maxime curae fuerit, in communibus sacris depositae fuerint. Neque voce λιθίναις prohibemur, quominus de tabula ahenea Olympiae collocata cogitemus. Idem conjici potest de pace, quae anno 404 bellum Peloponnesiacum secuta est, quamquam Andocides [1]) auditorum animos nonnisi ad columnam Athenis positam relegat.

§. 4.

Eadem consuetudine Graeci extremis temporibus utebantur, quibus Macedones et Romani auctoritatem suam rebus eorum interponebant. Sed Olympiae et Delphis accedebant sacra conciliorum, quibus tum Graeci conjungebantur, centra foederis Achaici et Aetolici. Sic cum Megalopolitae urbem suam, a Cleomene prorsus obrutam [2]), Achaeorum ope denuo conderent, pactum, quod hac de re cum illis inierunt, in columna παρὰ τὸν τῆς Ἑστίας βωμὸν ἐν Ὁμαρίῳ (Polyb. V, 93) inscripserunt. Homarium enim non fuisse Megalopolitarum sacrum sed Aegii urbis, ubi prope lucum Jovis Homagyrii omnes Aechaeorum socii bis per annum ad contiones habendas congregabantur, E. Curtius intellexit [3]). Ara autem Hestiae in medio Homario posita, communis Achaeorum focus, erat sanctissimus locus, cui foedera apponi poterant [4]). Ex alio Polybii testimonio, qui II, 41 tradit, qua-

1) Andoc. 3. §. 12. 2) Plut. Cleom. c. 24.

3) Peloponn. II, 488. cf. Schömann, Griech. Alterth. II. p. 115.

4) Vide Curtium l. l. p. 463. Simili modo Tei in urbe sodales τῆς Ἐχίνου συμμορίας, quae Boeckhio judice (ad C. I. II, p. 651) gentibus Atticorum respondet, decreta, quibus alicui laudes tribuunt, παρὰ τὸν βωμὸν τῆς συμμορίας (C. I. 3065. 66) ponunt, i. e. prope aram communem, qua sodales ad sacra faciunda conjungebantur; Magnesiae incolae pactionem cum Smyrnaeis initam et aliis locis collocant et ἐν τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τοῦ Διον[ύσ]ου. Sic etiam Athenis Metroon, Rheae sacrum, ubi publicae literae custodiebantur (Suid. Phot. v. μητραγύρτης, Harp. v. μητρῷον, Din. adv. Dem. §. 86) conjunctum erat cum Tholo, in qua erat urbis focus et ignis Hestiae. Cf. E. Curtius, Attische Studien

tuor Achaeorum urbes, quae primae a. 280 societatem inierunt, non posuisse pacti monumentum, sequi videtur, ut ab aliis postea factum sit [1]. Quocum convenit, quod idem auctor (25, 1) de Messeniorum nonnullis oppidis narrat, eorum unumquodque, cum confoederationi Achaicae sese adjunxissent, propriam hac de re columnam posuisse: *ἰδίαν δὲ θέμεναι στήλην ἑκάστη (πόλις) μετεῖχε τῆς κοινῆς συμπολιτείας.* Et causa quidem, cur priorum urbium foedus lapidibus non inscriptum, posteriorum vero inscriptum sit, ea esse videtur, quod, quo tempore illae paciscebantur, Aegium nondum ad societatem earum accesserat [2], atque sacrum et antiquitate et sanctitate sacratum omnibusque Aechaeis commune, quale erat Homarium, non aderat. — Postea vero, cum confoederatio in summas opes crevisset, ejusque acta ad totam Graeciam pertinerent, etiam Olympiae tabulae ponebantur, id quod probatur foedere ab Achaeis c. annum 192 cum Lacedaemoniis inito, „quod", auctore Livio (38, 33), „in Capitolio, quod Olympiae, quod in arce Athenis sacratum erat". Addiderim „in Homario", quod a Livio facillime omissum esse potest, quia Athenae et Olympia Romae in omnium ore erant, Homarium autem aut ipsi Livio aut lectoribus ejus fortasse ignotum erat. Iisdem locis aliud foedus positum esse conjicias, quo Achaei cum Lacedaemoniis *στήλης προγραφείσης συμπολιτεύεσθαι* a Polybio (25, 2) traduntur.

Eundem locum, quem apud Achaeos Aegium, apud Aetolos obtinebat Thermum, ubi prope sacrum Apollinis, quo jam ex antiquissimis temporibus omnes Aetoli utebantur, una cum ludis agonisticis annui conventus (*Παναιτωλικόν*) [3] agebantur. Qua de causa ibi, quo tempore confoederatio

---

II, 57 sqq., de Metroö vide infra. — [*Εἰς τὴν τᾶ*]*ς πόλεως ἑστίαν* decretum urbis alicujus (Rangab. 2281), quo Atheniensibus laudes tribuuntur, poni jubetur, cujus tituli apographum Athenis in arce effossum est. Eandem consuetudinem fuisse Romanis, docet titulus Aquilejae repertus et descriptus „ex tabula aenea, quae fixa erat Romae in Capitolio ad aram gentis Juliae deforas podio sinisteriore". Cf. Gruter. thesaur. p. DLXXIII. Becker, röm. Alterth. I, 28.

1) Schömann Gr. Alt. II, p. 114, n. 1. 2) Polyb. II, 41 fin.

3) Schöm. l. l. II, 109 sqq.

Aetolica florebat, literae publicae omnium oculis conspiciendae deponebantur. Huc refero titulum apud Rang. 692, quo Aetolorum nonnulli judices ad Pereorum et Melitaeorum controversias de finibus exortas dirimendas missi sunt, et deinde synedrii auctoritate columnae fines utriusque urbis constituentes Melitaeae Delphis Calydone Thermi poni jubentur [1]). Cur Thermum commemoretur ex iis, quae supra attuli, facile apparet; neque de Delphis dubitari potest, cum et propius Aetolis adjacerent quam Olympia, et Apollinis cultu, cujus tutela etiam confoederatio Aetolica utebatur, insignes essent. Calydone exemplar pacti propterea collocatum esse videtur, quod judices in urbes illas missos Calydonios fuisse versu altero tituli docemur. Quo autem jure tabula apud Melitaeos ponenda mandetur, apud Pereos non mandetur, haud facile intelligitur; itaque non alienum erit, cum Rangabeo (ad h. tit. p. 280) statuere, columnae Pereae ponendae commemorationem casu quodam omissam esse. Haud dissimilis est alius titulus (Ephem. Archaeol. 3493), quo continetur pactio Phigalensium et Messeniorum, quibus Aetoli arbitri affuerunt. Quod decretum, quamquam nonnisi, ut in utraque urbe columna erigatur, praescribitur, tamen etiam in Aetolorum sacro inscriptum fuisse verisimile est. Posterioribus temporibus, quibus Romani ad res Graecas accedebant, Aetoli, si quid cum illis paciscebantur, etiam Olympiae pilis inscribebant. Sic ea, quae anno 211 inter Romanos et Aetolos convenerunt, „conscripta biennio post Olympiae ab Aetolis, in Capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita" (Liv. 26, 24), quibus verbis

---

1) De Melitaeae et Pereae urbium situ nil certi traditur, nisi quod illam ex Strabone (IX, 434) in Phthiotide prope Enipeum flumen (*πέραν τοῦ Ἐνιπέως* ibid. p. 432) positam fuisse scimus. Cf. Rangab. II, p. 277 sqq., qui titulum annis inter Ol. 137—45 interjacentibus tribuit (p. 284). Cum autem his temporibus confoederatio Aetolica non solum gentibus finitimis, sed etiam pluribus maris Aegaei insulis nonnullisque Thessalorum populis imperitaret, (cf. Schöm. ant. jur. publ. p. 437) optime convenit, quod Aetoli ab urbibus Thessalis arbitri advocati columnas non solum in urbibus illis, sed etiam in suis sacris ponunt.

tamen, ut supra demonstravi, alia sacra, velut Panaetolicon, non excluduntur. Sed praeter Delphos, Olympiam et confoederationum centra alia etiam sacra ad tótam Graeciam pertinentia affuerunt, quibus nonnunquam literae publicae tradebantur. Foedus enim inter Boeotos et Perseum regem Epirotarum anno 171 factum „tribus locis, uno Thebis, altero ad Delum augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis“ lapidibus incisum esse Livius [1]) narrat. De commemoratione Thebarum, quae tenebant principatum in confoederatione Boeotorum [2]), nulla est offensio. Cur autem foedus Deli inscriptum est, quae insula neque ad Boeotos neque ad Epirotas pertinebat? Causa videtur inesse in gloria, qua fruebatur templum Apollinis Delii, quod sacrum jam antiquitus insulis Ionicis commune erat, et postea per aliquantum temporis legatos symmachiae Atticae exceperat. Neque tamen persaepe factum esse videtur, ut columnae Delum afferrentur.

§. 5.

Eandem vel majorem fere foederum inscribendorum curam quam in ipsa Graecia fuisse apud insularum et coloniarum Asiaticarum incolas, compluribus titulis eorum probatur. Immo vero ibi non solum in sacris communibus tabulae, sed etiam, quod apud Graecos Europam incolentes rarissime fiebat, in eadem urbe complura foederum exemplaria deponebantur. Nam foedus (C. I. 3137) inter Smyrnaeos et Magnetes ad Sipylum [3]) ictum non solum apud illos in sacro Veneris Stratonicidis, apud hos in tribus exemplaribus in foro ad Dionysi aram et prope regum statuas et Pandis in vico suburbano [4]) in sacro Apollinis ponendis, sed etiam a

1) 42, 12.

2) *Κοινὸν Βοιωτῶν* C. I. 1570. De communibus sacris, quae foederis Boeotii socii celebrabant in templo Minervae Itoniae inter Coroneam et Alalcomenas, cf. Paus. IX, 34, 1. Schömann ant. jur. publ. p. 404.

3) Magnetes ad Sipylum intelligendos esse, acutissime ostendit Boeckhius in commentat. ad h. tit. p. 698.

4) cf. Boeckh. l. l.

Smyrnaeis Magnesiae prope Maeandrum, quae erat Magnetum ad Sipylum habitantium metropolis, inscribi jubetur, in quo hoc potissimum contra consuetudinem vulgarem fit, quod pacta cum colonis conventa etiam metropolis incolis publico monumento indicantur. Sextum denique exemplar in Apollinis templum Grynei prope Myrinam [1]) exstructum dedicatur, ubi, etiamsi urbes Aeolicae non confoederatione conjunctae erant [2]) sicut Ionicae, tamen ab omnibus Aeolibus sacra anniversaria [3]) committebantur et oracula [4]) petebantur. — Apud Cretenses vero tantum erat actorum publicandorum studium, ut in foedere Hierapytniorum et Priansiorum (C. I. 2556) Cosmis mulcta pendenda constitueretur, nisi pacta, sicut praeceptum erat (*καθὼς γέγραπται*), in utraque urbe in sacro Minervae Poliadis inscriberent. Neque desunt exempla, quibus probatur, etiam Cretensium urbium incolas in sacris extraneis communes columnas deposuisse, velut pactio (C. I. 2555) inter Hierapytnios et eorum colonos [5]) (*τοὺς κατοικόντας Ἱεραπυτνίους*) de mutuae civitatis jure facta, cujus foederis tria exemplaria confici et duo quidem in ipsis urbibus collocari jubentur, tertium *κοινᾷ* in sacro aliquo Minervae. Minervae autem sacro utramque civitatem usam esse, non minus verisimile est, quam Apollinis Delphinii delubrum Cnosi exstructum, in quo Latii et Olontii foedere juncti (C. I. 2554) praeter pilas ab utrisque *ἐν τᾷ ἰδίᾳ πόλει* ponendas columnam [*κοινᾷ*] collocari jusserunt, apud Latios et Olontios in pari honore fuisse. Unde haud male Hoeckius [6]) conclusit, oppida in septentrionali litore Cretae mediae sita auctoritatem Cnosi agnovisse. Apollinis autem Del-

1) Strabo XIII, p. 622. 2) K. F. Herm. Staatsalt. §. 76, 12.

3) Gottesdienstl. Alt. §. 66, 36. Schöm. Gr. Alt. II, 311.

4) Steph. Byz. v. *Γρῦνοι* et Strab. l. l.: *ὅπου καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον καὶ νεὼς πολυτελής.*

5) Hierapytnios pepigisse cum colonis suis propriam civitatem efficientibus neque cum Gortyniis, ut Chisullus et Hoeckius (Creta III, p. 476 sqq.) ex alio titulo (C. I. 2556) conjecerunt, rectissime Boeckhius ad h. tit. p. 410 ex eo conclusit, quod non a Gortyniis sed a colonis Hierapytniorum altera tabula ponenda erat.

6) Creta III, 479.

phinii cultum Cretae fuisse antiquissimum, licet colligere ex hymno homerico [1]), ubi Apollo specie delphini indutus nautis Cretensibus advenisse eosque Crissam perduxisse traditur. Idem cum de Jove Idaeo, quem in Ida monte antiquitus adoratum esse constat, dicendum sit, intelligitur, cur monumentum pactionis inter Cydoniam et Apolloniam urbes initae Jovis Idaei [2]) curae traditum sit.

Haec, quae attuli, pauca tantum foederum exempla habenda sunt, quorum inscriptio et collocatio a scriptore aliquo occasione data traditur, aut ex titulo, qui forte Fortuna aetatem tulit, intelligitur. Numerum autem columnarum Olympiae depositarum fuisse satis magnum, ex Pausania concludi potest, qui V, 12, 8 haec habet: *στῆλαι δὲ ἄλλαι τε ἑστήκασιν καὶ ἡ κτλ.* Idem de aliis sacris conjicere licet.

Loci igitur toti Graeciae communes, ubi foederum exemplaria deponebantur, sunt Olympia, Delphi, Isthmus, Delus, et singularum confoederationum sacra velut Homarion Aegii, Panaetolicon Thermi, Thebae, atque Insulanorum et Graecorum Asiaticorum templa nonnulla.

§. 6.

Transeo ad foederum inscribendorum rationem, qua Athenienses proprie utebantur. Jam supra commemoravi (p. 10), ex saeculo fere quinto omnia pacta in omnibus urbibus, inter quas aliquid conveniebat, columnis inscripta, neque vero profanis sed semper locis sacris deposita esse. Cum autem summum sacrum Athenis esset arx et ea quidem tota Minervae sacrata [3]) diversisque Deae templis exornata esset, ibi pilae quasi monumenta rerum ab urbe gestarum (*στῆλαι τοῦ τῆς πόλεως ἤθους μνημεῖον*) [4]) ad memoriam proavorum gloriae posteris tradendam stabant. Tabulas autem, in quibus Athenis pacta conscribebantur non, ut exemplaria Olympiae

1) hymn. in Apoll. Pyth. (II, 221 Baumeister). Preller, Griech. Myth. I, 199. 2) Polyb. XXVII, 16: *καὶ περὶ τούτων κειμένης ἐνόρκου συνθήκης παρὰ τὸν Δία τὸν Ἰδαῖον.* cf. Hoeck l. l. p. 480.

3) *ὅλης οὔσης ἱερᾶς τῆς ἀκροπόλεως* Dem. de f. l. §. 272.

4) Dem. Lept. §. 64.

deposita [1]), ex aere sed omnes ex lapide confectas esse, ex Thucydide colligi potest, apud quem (V, 47) legitur: ἀναγρ. ἐν στήλῃ λιθίνῃ Ἀθηναίους μὲν ἐν πόλει .... καταθέντων δὲ καὶ Ὀλυμπίασι στήλην χαλκῆν. Quocum quomodo convenit, quod titulo apud Rang. 453, qui foedus inter Athenienses, Lacedaemonios, Eleos, Achaeos aliasque civitates circa annum 270 ictum continet, postscribitur ἀναγράψαι ἐν στήλῃ χαλκ[ῇ], ipsa autem columna, quae prope Propylaea inventa est, lapidea est? Quae difficultas, cum omnia alia foedera Athenis inscripta, quorum cognitio ad nos pervenit, ἐν στήλῃ λιθίνῃ inscribi jubeantur, nullo alio modo dirimi potest, quam si aut lapicidae errorem tribuimus, aut statuimus, pacti conditiones primum in Peloponneso conscriptas deinde Athenas missas et a populo comprobatas, ibique exemplar aheneum, quod fortasse Olympiam κοινῇ mittendum erat, cum lapideo Athenis deponendo commutatum esse. Neque enim Rangabeo assentior, qui (II, p. 147) putat, alterum exemplar lapideum ex illo descriptum prope Propylaea collocatum esse, quia, quamquam satis multi tituli huc pertinentes ad nos pervenerunt, nullo exemplo probatur, Athenienses in arce duas columnas, et alteram quidem aheneam posuisse.

Pacta, quae ad propriam Atheniensium symmachiam pertinebant, non in communibus sacris, sed solis Athenis inscribebantur, quia aliarum civitatum non intererat, ut ea cognoscerent, et quia Olympia, Delphi, Isthmus in Doriensium potestate erant, qui confoederationi Atticae infensi erant Columnas autem omnes in arce stetisse, non solum nonnullorum titulorum postscriptis probatur, ut foederis cum Phaselitis (C. I. 86), cum Samiis (Rang. 257), cum Aphytaeis (Rang. 274), sed etiam multis aliis titulis, quos quamvis deperditis postscriptis ex eo, quod in arce effossi sunt, ibi positos esse concludere licet, ut foedera cum Methonaeis (Rang. 250), cum Corcyraeis et Acarnanibus (Rang. 382), cum Bottiaeis (Rang. 254—55), cum Euagora (Rang. 276), cum Erythraeis (C. I. 73, b. add. p. 890), cum Histiaeensibus (C. I. 73, c. add. p. 893), aliaque, quae enumerare longum est. Neque tamen putan-

1) cf. p. 9 sqq.

dum est, socios, quae cum Atheniensibus pepigerint, domi non inscripsisse, sed causa, cur in actorum postscriptis hac de re nil definiatur, ea esse videtur, quod Athenienses suam urbem ejusque arcem pro centro confoederationis habebant, neque iis curae erat, num et ubi socii decreta proponerent. Eadem de causa factum est, ut temporibus post bellum Peloponnesiacum omissa majorum consuetudine ne foederibus quidem cum civitatibus Peloponnesiacis ictis, semper adderent, ubi in illis columna erigenda esset, neque exemplar Olympiacum commemoraretur, ut antea in pactis, quae Thucydides servavit. Huc pertinet foedus, quod jam supra attuli (Rang. 453) cum Lacedaemoniis, Eleis etc., et aliud cum Lacedaemoniis (Ephem. 3648) ictum, quod jubetur poni *ἐν ἱερῷ ὅπου ἂν βούλωνται*, quo tamen non prohibemur, quominus statuamus, Peloponnesios exemplar Olympiae deposuisse. Verba autem *ἐν ἱερῷ* intellige de arce, quae proprie sacrum Athenarum erat (p. 24).

Si nonnunquam factum esse videtur, ut Athenienses aliarum civitatum decreta de foedere secum ineundo lapidibus inscriberent, hoc ita explicandum est, ut ab Atheniensibus primum legati ad illas missi, quae ibi pepigerunt, domum retulerint, et pactis deinde a populo confirmatis columnae plebiscitum Atheniense continenti apposita sit altera, cui incisa erat alterius civitatis decretum, ut illa quam maxime celebraretur. Sic urbium Cearum decreta de rubrica solas Athenas exportanda (Boeckh. oec. civ. II. tit. XVIII), sic urbis Creticae alicujus psephisma [1]) (Rang. 691) Athenis in arce effossa sunt.

Duo autem erant nomina, quibus arx in titulis significabatur: nam columnae aut *ἐν πόλει* aut *ἐν ἀκροπόλει* collocari jubebantur. Acropolin enim priscis temporibus *πόλιν* dictam esse ex Thucydide [2]) et Pausania [3]) notum est, quae

1) Ne tamen ex eo, quod dorica dialecto conscriptus est titulus concludas, decretum Cretae lapidi incisum Athenas missum esse, quod fieri non potuit, quia pactio, antequam Athenis a populo comprobata esset, non rata erat. Contra statuendum est, lapicidae Attico affuisse apographum decreti Cretici Athenas allatum. 2) II, 15. 3) I, 26, 6.

consuetudo in actis publicis satis diu remansisse videtur. Nam antiquiorem formam habemus in titulo de colonia Bream deducenda (Rang. 785, b a. 444), in foedere cum Aphytaeis (Rang. 274 anni c. 432 Rangabeo judice) in iis, quae insunt in Thucydide (a. 421. 420), in pactione cum Samiis (Rang. 257 a. 411), quibus tituli alias res continentes accedunt velut Eph. 3555 (a. 421), C. I. 76. (a. 434)[1], Philol. XVIII, 573[2]) (a. 410). Contra antiquissima foedera, in quibus legitur *ἐν ἀκροπόλει,* sunt haec: Rang. 388 cum Arybba (intra annos 360—43)[3], ibid. 392 (a. 357) cum Carystiis et Eretriensibus, ib. 407 de cleruchia Lemnia (c. a. 340), quibus addo haec decreta honoraria: Rang. 377 (a. 387), C. I. 84 (a. 377), Rang. 385 (a. 368). Novissimus igitur titulus, qui nunc exstans vocabula *ἐν πόλει* praebet, anno 410, antiquissimus, in quo invenitur *ἐν ἀκροπόλει* anno 387 scriptus est. Ex quo apparet, utriusque significationis terminum iidem fere tempori tribuendum esse, quo tota scribendi ratione mutata Ionica literatura archonte Euclide (a. 403) in actis publicis recepta est[4]. Cui non obstat, quod tit. apud Rang. 458, qui praebet *ἐν πόλει*, paullo post Euclidem conscriptus esse videtur. Quamquam enim complures literae sunt Atticae, tamen multa alia insunt, quae indicant, lapicidam neutri scribendi rationi prorsus addictum fuisse.

Sed ubi foedera in arce deposita, cui sacro ibidem apposita sunt? Quae quaestio antequam dirimi potest, pauca in universum praemittenda sunt de locis, ubi lapides prodierunt[5]. Notum est, cum omnia aedificia Atheniensium et sacra et profana tum arcis aedes multa iniqua passa esse jam

---

1) aetatis definitio debetur Kirhhoffio, Urk. d. Schatzmeister d. and. Götter p. 25; Boeckhius ad C. I. vol. I. p. 117 et in oec. civ. II, p. 51 de anno 419 cogitabat.

2) Kirchhoff, Ber. d. Berl. Akad. 1861 p. 602. Rauchenstein praef. ad Lysiam in Agorat. ed. 1864. p. 54.

3) Rang. II, p. 61: ante a. 359; Sauppe inscr. Maced. IV, p. 18: a. 352; A. Schäfer, Demosth. u. seine Zeit II, 401: a. 343.

4) Franz, elem. p. 24. 148. Wachsmuth, hellen. Alterth. II, 751.

5) Data occasione non eos tantum titulos, in quibus foedera insunt, sed alios quoque nonnullos tangam.

primis Christianorum temporibus, quibus curae erat, Deorum templa subvertere, deinde sub Turcarum imperio et imprimis cum arx a Venetis a. 1687 obsessa tormentisque vexata est, denique autem nostro saeculo aut ab iis, qui veterum monumenta denuo inspiciebant et, quae placebant, secum ferebant, aut ab iis, qui Athenis super illorum ruderibus nova aedificia exstruebant. Majori autem quam ipsa aedium destructio detrimento fuit, quod saepissime templorum fragmenta et columnae iis appositae huc illuc trahebantur materiae instar, ex qua nova aedificia erigerentur. Sic jam prioribus saeculis Christiani veterum monumentis usi sunt ad ecclesias aedificandas; sic Franci ad turrem in ipsa arce exstruendam, sic Graeci hujus aetatis domibus suis lapides ex antiquitate servatos inseruerunt. Ex quo facile intelligitur, non omnes columnas suum locum tenuisse, sed multas sive fractas sive integras huc illuc sparsas esse, neque, quae nunc inter Parthenonis vel Erechthei vel Propylaeorum rudera vel alio arcis loco detectae sint, olim ibidem steterint, necesse esse. Sic tituli apud Rang. Nr. 1287 duo fragmenta diversis locis prodierunt; et foedus cum Euboeae urbibus ictum (Rang. 391—2) ex duobus lapidibus constat, quorum alter prope Propylaea alter sub muro prope speluncam Panis repertus est; et decreti Spartaco dati prior pars (Rang. 446) inter Parthenonem et Erechtheum posterior (cf. C. I. 107) in pacimento templi Turcici eruta est. Alii lapides fato aliquo ex acropoli dejecta esse videntur, ut titulus de foedere cum Methonaeis inito (Rang. 250), quem, quamquam sub muris meridionalibus arcis super theatro Bacchi (cf. Rang. I. p. 317) effossus est, tamen in ipsa arce stetisse pro certo habendum est; idem accidit decreto in C. I. 92, quod prope monumentum Lysicratis inventum est, et in Ephem. 3548 aliisque.

Tales locorum mutationes magis etiam ex iis titulis intelliguntur, qui, quamquam postscriptis docemur, ubi positi fuerint, tamen alibi in lucem redditi sunt. Exempla affero titulos apud Rang. 453 et in Ephem. 2830 prope Erechtheum ponendos, quorum alter prope Propylaea alter in orientali arcis parte repertus est. Sed nonnunquam factum est, ut

lapides, qui in arce poni jussi sunt, etiam longius a suo loco moverentur. Sic tituli apud Rang. Nr. 803, 2296, 2285 in ecclesiis, Nr. 2337 in domo, Nr. 2298 in hortis regiis; quin etiam inscriptionum in C. I. 86 et 76 [1]) altera in monasterio prope Hymettum montem reperta, altera in ecclesia vici »Charvati« [2]), Pentelico adjacentis altari imposita est. Mira quoque fata nonnulli tituli navales passi sunt [3]); ad aquam enim ducendam excavatae columnae colliciarum instar aedificio, quod temporibus Romanis in Piraeo prope priscam *ὁπλοθήκην* exstructum est, appositae, ibique anno 1834 e terra erutae et in ecclesiam, quae dicitur *Παναγία Μεγάλη* deportatae sunt [4]). Neque vero columnae, quae in urbe aut prope templa aut in foro positae sunt, per tot saecula interjacentia intactae steterunt, sed huc illuc motae aliae ecclesiis aliae domibus, aliae muris et prioribus saeculis post Christum et media aetate et novissimo saeculo exstructis inserebantur, qua de re infra pauca afferam.

Quodsi igitur titulus alio loco atque in postscriptis destinatur, inventus est, noli semper de compluribus exemplaribus (*στήλαις ἀντιγράφοις*) cogitare, quae interdum sed raro tantum (Eph. 3340.]3417 cf. Dem. 20, 36) conficiebantur (p. 32), aut, si conficienda erant, in postscriptis commemorabantur (C. I. 93. Rang. 410. 391. Eph. 3492. 4097 sqq. Philist. B. p. 238). Contra hoc vix credi potest, ex urbe lapides in arcem elatos esse, quia ibi vallum quasi inscriptionum fuit, et ad quodcunque aedificium posterioribus temporibus exstruendum lapides satis superque aderant. In universum igitur haec tenenda sunt: 1) Columnae, quae in acropoli effossae sunt, revera etiam ibi positae erant; ubi autem in arce steterint, ex arcis regione, qua in lucem prodierunt, concludi non potest. 2) Si tituli, quos in arce stetisse postscriptis do-

1) cf. v. 29: *τὰς δὲ στήλας, ἐν αἷς ἀναγράψουσι τὰ χρήματα τὰ ἱερ[ὰ ἀποθέ]ντων ἐμ πόλει.*

2) cf. Rang. I, p. 203; Kirchhoff, Urk. d. Schatzm. p. 8. Anm. 2; de tabulis quaestorum ex arce in urbem alioque delatis cf. ib. p. 18.

3) Boeckh, Seeurkunden = Ephem. Nr. 3122 sqq.

4) cf. Boeckh, Seeurk. Vorr. p. X, Pittakes in Ephem. p. 1503.

cetur, alio loco reperti sunt, eo non probatur, illos non in arce collocatos fuisse.

Cum igitur ex cognitione regionis, qua tituli nostra aetate prodierunt, nil fere lucramur ad locum, quo foedera in arce ponebantur, accuratius cognoscendum, videndum est num forte ex ipsis inscriptionibus hac de re nonnulla elici possint. Jam per se intelligitur, pacta non quibuslibet arcis locis, sed talibus, quae summa sanctitate utebantur, i. e. prope sacra vel templa posita fuisse, quia, si Deorum tutelae tradebantur, fides et pietas, quae Diis debebatur, in illa transferebatur. Qua de causa verisimillimum est, locum his literis destinatum semper fuisse eundem, neque ex arbitrio esse mutatum; nam in iis, quae ad religionem pertinebant, veteres religiositate quadam consuetudines a majoribus acceptas retinebant. Cum autem arx cum Minervae cultu arctissime conjuncta esset, vix dubitari potest, quin ei foedera custodienda traderentur. Quocum convenit, quod pactioni cum Lacedaemoniis initae (Thuc. V, 23) addita sunt verba *στῆσαι ἐν πόλει παρ' Ἀθηνᾷ,* et quod in paucis titulis (nam plerique in postscriptis nil praebent nisi *ἐν πόλει* vel *ἐν ἀκροπόλει*) accuratiora praecepta hac de re insunt, ut in C. I. 86: [*παρὰ*] *τῇ Ἀθηναίᾳ τῇ* .... et apud Rang. Nr. 453 *παρὰ τὸν νεὼ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Π*... Quamnam igitur Minervam, et quodnam sacrum ejus intelligamus? Ex litera *Π.* in titulo, quem attuli, elici possunt voces: *Πρόμαχος, Πολιάς, Παρθένος.* Poppo (ad Thuc. V, 23), Franzius [1]), Rangabeus [2]) de Parthenone cogitant, Boeckhius vero ad C. I. p. 126. 148 de statua Minervae Promachi. Sed illis obstat, quod Parthenon (a. 338 [3]) exaedificatus) vetustate non sacratus erat, neque foedera prioris temporis, velut ea, quae annis 450 et 545 cum Lacedaemoniis inita sunt, ibi poni poterant. Praeterea templum Mi-

1) elem. p. 315: »alia decreta videntur pone Parthenonem posita fuisse: C. I. 86. 87«.

2) antiq. hell. II, p. 47: »les traités étaient placés ... sous la sauvegarde de Minerve; aussi étaient-ils presque toujours érigés dans le Parthénon« (?).

3) *ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος:* Ol. 85, 3; cf. Philoch. apud Scholl. in Ar. pacem v. 605. K. O. Müller, de Phidiae vita et operibus p. 22.

nervae Virginis non proprie Deae colendae sed ludis publicis celebrandis [1]) destinatum erat. Idem contra Boeckhii sententiam valet, quia statua Minervae propugnatricis ultimis Phidiae temporibus [2]) finita est, cui argumento accedit, quod ex alius tituli (Rang. 453) verbis *παρὰ τὸν νεὼ τῆς Ἀθηνᾶς* colligitur, non statuam esse intelligendam sed templum. Qua de causa nil restat, nisi ut Minervam Poliadem intelligamus, cujus significationem (*Π*[*ολιάδος*]) recte Rangabeus (Nr. 453) ex litera *Π* supplevit [3]). Nam Erechtheum, in quo inerat lignea Deae imago coleo delapsa (C. I. 160 v. 1. *τὸ ἀρχαῖον ἄγαλμα*), et vetustate et sanctitate omnibus templis praestans [4]) proprie erat *ὁ ναὸς ὁ ἐν Ἀκροπόλει* (Rang. 803) vel *ὁ ναὸς ὁ ἀρχαῖος* (Eph. 2830); et quamquam non ante annum 409 [5]) prorsus confectum est, tamen semper ibi Minerva in templo colebatur. Cum igitur Minerva Polias ex antiquissimis temporibus pro Athenarum tutrice haberetur, ejusque delubrum etiam post Parthenonis exstructionem sanctissimis ritibus insigne esset, verisimillimum est, ei ut totius urbis salutem ita foederum servandorum curam delatam esse. Ibidem praeter titulos, quos attuli, etiam posita esse videntur foedus inter Lacedaemonios et Athenienses ictum, quod *ἐν τῷ ἱερῷ ὅπου ἂν βού*[*λωνται*] collocari jubetur (Eph. 3648 cf. p. 19) et decretum de Plataeensibus post urbem eorum a. 427 eversam civitate donandis [6]), quod Demosthenes (59, §. 105) in arce *πρὸς τῇ θεῷ* positum fuisse tradit.

---

1) E. Curtius, Gr. Gesch. II, p. 290. 299.

2) O. Müller, Archäol. d. Kunst §. 116.

3) Eodem modo etiam in C. I. 86 post *Ἀθηναίᾳ τῇ* supplendum est: *Πολιάδι*. — Rang. II, p. 147 ad tit. 453: C'est que l'original aura été suspendu aux murs (?) du temple de Minerve Poliade; false tamen de titulo aheneo et eo quidem muris inserendo cogitat, qua de re vide infra. — Simili modo foedus inter Istrionos et Teios (C. I. 3048) apud illos deponitur *εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τᾶς Ἀθάνας τᾶς Πολιάδος* (cf. Biagium p. 360) et pactio inter Hierapytnios et Priansios Cretenses (C. I. 2256) apud utrosque *ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηναίας τῆς Πολιάδος*. cf. §. 5.

4) Vide Pausan. I, 26, 7 et alios locos apud O. Jahnium, Pausan. descript. arcis Athen. p. 19.

5) cf. O. Müller, Archäol. d. Kunst. S. 109, 4.

6) Boeckh, Staatsh. d. Ath. I, 366, b. Schöm. Gr. Alt. I, p. 367.

Jam oritur quaestio, qua ratione tituli in Erechtheo positi fuerint. Prorsus spernenda est Popponis sententia, qui l. l., assentiente etiam Rangabeo[1]), putat, lapides stetisse in cella „παρὰ τῷ τῆς Ἀθηναίας εἰδώλῳ“; recte autem Boeckhius ad C. I. Vol I p. 148 statuit, illos non loco clauso sed aperto positos fuisse, ut ab unoquoque inspici possent. Sic etiam in nonnullis titulis additur ἐν τῷ ἐπιφανεστάτῳ τόπῳ (C. I. 108); sic non solum novae leges ab aliquo rogatae publice exponebantur (ἵν' ὁ βουλόμενος σκέψηται Dem. Timocr. 25; Andoc. I, 84 σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ; cf. Rang. Nr. 430), sed etiam priscae leges, quibus respublica utebatur, publicis locis (in Areopago Lys. I, 30; ante curiam And. I, 95) columnis inscriptae omnibus patebant (cf. Cap. II). Eadem ratione etiam foedera sub dio posita esse, probatur ipso tituli postscripto παρὰ τὸν νεώ (Rang. 453). Neque si apud Thucydidem παρ' Ἀθηνᾷ[2]) vel apud Demosthenem (59, 105) πρὸς τῇ θεῷ legimus, de ipsa Deae imagine, quae in cella erat, sed de toto sacro illius cogitandum est, quod in universum significatur verbis ἐν τῷ ἱερῷ (Eph. 3648, 4027, 3337, C. I. 214, Rang. 418). Sic etiam titulum (Ephem. 2830), qui ponendus erat [βόῤῥα]θεν το[ῦ] ναο[ῦ] το[ῦ] ἀρχ[αίου][3]), collocatum esse intra sacrum Poliadis putaverim. Illic autem non solum ipsa templa Minervae et Neptuni fuisse constat, sed accedebat spatium aliquod templum undique cingens (τέμενος), quod muro (περιβόλῳ) locum sacrum a profano sejungente circumdatum erat. Tale saeptum etiam fuisse Erechtheo nuper muri fragmentis nonnullis detectis comprobatum est[4]). Lapides igitur

---

K. F. Herrm. §. 117, 9. Hoc psephisma huc retuli, quia, cum ad omnes Plataeenses pertineat, aliquo modo pactio dici potest.

1) Rang. II, p. 47: dans le Parthénon.

2) Poppo ad Thuc. IV, 67 sine justa causa negat, verba παρ' Ἀθηνᾷ posse significare: »prope templum vel sacrum Minervae«.

3) Pittakes ad h. tit. p. 1405 in opinionem incidit, columnam adstitisse arae τοῦ Διὸς Ὑπάτου, quae fuit prope introitum Erechthei (Pausan. I, 26, 6).

4) de meridionali Erechthei peribolo: C. Bötticher, Bericht über die Untersuch. auf d. Akrop. 1868 p. 206 sqq.; de lucis, altaribus, sta-

pacta continentes (et fortasse etiam alii) inter ipsum templum et exterum murum stetisse videntur, ibique, cum Erechtheum Minervam adorantibus semper pateret, ab unoquoque facillime conspici poterant. Eandem rationem in columnis Tholo apponendis usos esse Epidaurios testis est Pausanias [1]).

Solane igitur in arce, neque ullo alio loco foedera proponebantur? Prodiit anno 1851 in atrio domus inter Acropolin et forum sitae [2]) inscriptio (Rang. 381 = II p. 373 sqq.)

---

tuis, quae peribolus complectebatur: Leake, Topogr. Athens, übers. v. Baiter u. Sauppe, Anhang 17; de saeptis templorum in universum: Schömann, Griech. Alterth. II, 191.

1) Paus. II, 27, 3 στῆλαι δὲ ἑστήκεσαν ἐντὸς τοῦ περιβόλου, quibus columnis inscripta erant nomina eorum, qui ab Asclepio sanati erant.

2) Domus est τοῦ μακαρίτου Σταμάτου Ψωμᾶ sub arce sita prope Hypapantes ecclesiam meridionali et orientali fori parti adjacentem (cf. Ἐπιγραφαὶ ἀνέκδοτοι φυλλ. 1. 1851 p. 3). Qua regione cum ex domorum atriis et muris et ecclesiarum fundamentis opera archaeologicae societatis permulti lapides effossi sint, atque eorum nonnulli in postscriptis ante Buleuterium velut Rang. Nr. 430, 467 (M. Meier comment. epigr. I, p. 18), Ephem. 2460, in prytaneo C. I. 112 (113), Eph. 3444, vel omnino in foro Eph. 2467, prope porticus Eph. 2459 poni jubeantur, et alios ibidem stetisse conjicere liceat (Rang. 442. 478. 514 933. 578 Eph. 2456 etc.): Pittakes (in Ephem. p. 679. 666. 642) et Rangabeus (II, p. 763) in opinionem adducti sunt, in loco, quem nunc obtineat Hypapantes ecclesia, olim fuisse Buleuterium et Metroum, idque nonnullis aliis inscriptionibus, in quibus Metroum commemoratur, (cf. Pittakes, l'ancienne Athènes p. 32 sqq. et Rang. Nr. 1152—55) probare studuerunt. Sed his inscriptionibus, quae spuriae habendae sunt, nil probatur. Sin autem revera aedificia publica in regione magis septentrionali et occidentali stabant, et imprimis porticus cum statua Jovis satis multum a situ Hypapantes ecclesiae distabant, quomodo titulus prope Jovem Liberatorem ponendus ad locum, quo nunc detectus est, pervenit? Causam optime intellexisse videtur E. Curtius, qui (Att. Stud. I. p. 77, II, p. 28 sqq.) putat, lapides olim in foro positos undique arcessitos esse ad murum vulgo »Valeriani« dictum exstruendum (Leake, Topogr. Athens p. 35), qui ad veteris religionis monumenta prorsus delenda Justiniani temporibus exstructus, et a Propylaeis oriens septentrionali ductu orientalem fori partem secutus sit et deinde prope ecclesiam Pyrgiotissam orientem versus deflexerit. Cujus muri nonnulla rudera sub terra servata et nuper effossa sunt (vide tabulam apud

conditiones continens, quibus Athenienses cum compluribus urbibus confoederationem navalem bello Peloponnesiaco sublatam Nausinico archonte (Ol. 100, $3 = 3^{78}/_{77}$) denuo inierunt. Qui titulus cum *παρὰ τὸν Δία τὸν Ἐλευθέριον* deponi jubeatur, Rangabeo (II p. 47) suspicio oritur, in lapide inesse legem non foedus; leges enim inscriptas esse „dans les portiques". Recte quidem. Solonis leges his temporibus asservabantur aliae *ἐν πρυτανείῳ* (Harpocr. v. *ἄξονες*) aliae *ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείῳ* (cf. Aristotelem apud Photium p. 189, 18)[1] et postea denuo examinatae et conscriptae sunt *ἐν τῇ στοᾷ* (Andoc. I, 82) *εἰς τὴν στοάν* (ib. 85) *εἰς τὸν τοῖχον ἵνα περ πρότερον ἀνεγράφησαν* (ib. 84). Quae autem in parietibus foribusque curiarum judiciorum porticuum[2]) i. e. loco tecto inscripta erant, non stabant prope statuam sub dio. Et quamquam concedi potest, nonnullas columnas leges publicas continentes etiam loco aperto (in Areopago Lys. I, 30; ante curiam ut lex Demophanti And. I, 95) positas fuisse (p. 25), tamen hoc raro factum esse videtur. Accedit, quod foedus supra allatum non legis sed plebisciti speciem prae se fert cum tota forma tum praescriptis[3]) et postscriptis, quae in legibus deesse solent.

Cur autem columna praeter consuetudinem *παρὰ τὸν Δία τὸν Ἐλευθέριον* posita est? Jovis liberatoris statua in occidentali Ceramici parte posita ante *στοὰν βασίλειον* et *Ἐλευθέριον,* quae porticus a Cimone et ab aliis ad forum aedificiis publicis exornandum[4]) exstructae erant, paullo post bella Persica erecta est, ut Jovi pro libertate Athenarum servata

---

Ernest. Curtium, Att. Stud. I), alia novis ecclesiis et domibus inserta esse videntur. Sic intelligitur, quomodo factum sit, ut reliquiae lapidis, quo continetur confoederatio archonte Nausinico inita, in atrio domus prope Hypapanten prodierint.

1) cf. Th. Bergk, epistol. ad C. Schillerum (in ed. Andocid. orat. IV) p. 130. De legum collocatione vide infra Cap. II.

2) M. Meier, opusc. II, 186.

3) Priores hujus tituli versus, qui ex permultis lapidum fragmentis (cf. *Ἐπιγρ. ἀνεκδ. φυλλ.* 1) denuo consertus est, edidit Rangabeus II, p. 373.

4) Paus. I, 3, 1. Curtius. Att. Stud. II, p. 47. Leake, Topogr. p. 177.

et gloria recuperata gratiae agerentur [1]). Cum autem urbs deinde Lacedaemoniorum armis libertate et auctoritate privata symmachia, quae a. 378 restituebatur, iterum in opes aliquas crevisset, facillime intelligitur, cur columna his pactis conscripta Jovi Liberatori custodienda traderetur.

Neque tamen omnes civitates, quae in hoc titulo leguntur, eodem tempore Athenarum socii facti sunt, sed in illo foedera cum Chiis et Thebanis tanquam jam antea facta commemorantur (cf. versum 24 et Rang. II p. 377). Cum enim hoc decreto conditiones ineundae et cum nonnullis civitatibus jam initae confoederationis praescriptae essent, aliae urbes, quae postea accessurae essent, inscribi jubebantur in eandem columnam (*εἰς δὲ τὴν στήλην ταύτην ἀναγράφειν τῶν τε οὐσῶν πόλεων συμμαχίδων τὰ ὀνόματα καὶ ἥτις ἂν ἄλλη σύμμαχος γίγνηται* v. 69—71). Quocum convenit, quod Chiorum et Thebanorum nomina, qui primi Atheniensibus sese adjunxerunt, etiam primo loco decreto subscripta sunt. Contra nomina, quae in margine totius lapidis in sinistra parte adscripta sunt, talium civitatum sunt, quae postea ad confoederationem accesserunt. Primum locum inter eas tenet [*Κερκυ*]*ραίων* [*ὁ δ*]*ῆμος,* quos restituta a Timotheo in mari Ionico Atheniensium auctoritate quatuor annis post Nausinicum (a. 375) una cum Cephalleniis et Acarnanibus socios Atheniensium factos esse testis est inscriptio apud Rang. Nr. 382. In quo titulo cum *τῶν πόλεων τ*[*ούτων τὰ ὀνόματα ἐς*] *τὴν στήλην τὴν κοινὴν τῶ*[*ν συμμάχων*] inscribi jubeantur, et cum Corcyraeorum Cephalleniorum Acarnanum nomina margini prioris tituli (Rang. II p. 375) adscripta sint [2]), verisimillimum est, columnam prope Jovis statuam depositam fuisse commu-

1) De positione statuae ante porticus vide Paus. l. l. et E. Curtium in att. stud. II, p. 20 et tabulam libello additam Nr. 16; de tempore quo statua erecta sit: Arist. Panath. 215 (I, p. 204 Dindorf); de cultu Jovis Liberatoris: C. I. 127 et Welcker, Griech. Götterlehre II, 212.

2) Ex literis . . *δης*, quae quinto loco leguntur, non recte Rangabeus [*Χαλκι*]*δῆς* supplevisse videtur, quia Chalcidenses, qui paullo post Thebanos titulo in fine subscripti sunt, jam prius quam Corcyraei confoederationem cum Atheniensibus inierunt, neque iterum post illos margini adscribi poterant.

nem sociorum pilam, in qua unusquisque Atheniensium, quibus sociis urbs uteretur, perspicere posset. Neque tamen sola pila illa continebantur foedera cum tot civitatibus facta, sed, quae cum singulis urbibus et cum alia alio tempore pacta erant, peculiaribus columnis inscripta et in arce (p. 18) posita sunt, ubi etiam titulus de foedere cum Corcyraeis icto (Rang. 382) repertus est. Num autem sociorum nomina, quibus Athenienses ante bellum Peloponnesiacum utebantur, in communi columna prope Jovis Liberatoris statuam una cum praeceptis de confoederatione ab Aristide profectis exposita fuerint, nescimus. Conjiciat fortasse aliquis ex eo, quod foederi cum Aphytaeis (Rang. 274) praeter consuetam formulam, qua columna in arce ponenda praescribitur, haec adduntur: [*ἀναγράψαι δὲ Ἄφυτιν ξύμ*]*μαχον τῶν Ἀθηναίων*. Alii autem tituli loco tam sacro depositi esse non videntur; nam quod decreto apud Rang. 478, quo alicui corona tribuitur, postscribitur *στῆσαι* [*ἐν ἀγορᾷ οὗ τὸ ἄγαλμα τοῦ Δ*]*ιός ἐστι* (si hoc recte supplevit Rangabeus), non de ipsa Jovis statua, cui lapis apponendus fuerit, intelligendum est.

Eadem ratione, qua singulae urbes communi sociorum columnae adscribebantur, licuisse sociis, si foederi ab Atheniensibus cum alia civitate inito accessuri erant, Atheniensium columnae nomina urbium suarum addere, ex Aeschine concluditur, qui de pace, quam Athenienses anno 346 cum Philippo fecerunt, haec habet [1]: *καὶ προςέγραψαν ἐν τῷ δόγματι, ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων ἐν τρισὶ μησὶ εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγράφθαι μετ' Ἀθηναίων καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνθηκῶν.* Quae verba tamen non de omnibus Graecis, ut Peloponnesiis, qui pace cum Philippo utebantur, sed nonnisi de Atheniensium sociis intelligenda sunt, quibuscum hac de re Athenis *κοινὸν δόγμα* decretum est [2]. Simili modo etiam in pace, quam Aetoli cum Romanis inierunt, destinatum est, ut, „si Aetoli pacem cum Philippo facerent" et „si populus Romanus foedere jungeretur regi" [3]), hoc foederi illi adscribendum esset.

Neque solum, si Athenienses cum externis civitatibus

---

1) c. Ctes. §. 70. 2) Ibid. §. 69. 3) Liv. 26, 24.

foedera inibant, ea utraque in urbe deponebantur, sed etiam si nova urbs ab iis condebatur, ibi, quae de colonia deducenda cum colonis convenerant, inscribenda erant. Cujus rei praeclarum exemplum praebet decretum apud Rang. Nr. 785 b, quo praescribitur, qua ratione iis, qui a. 444 nomina ad coloniam Bream deducendam daturi erant, in Thracia ager a *γεωνόμοις* distribuendus, et quae victimae inde Athenas ad dies festos celebrandos mittendae essent. In quo titulo, si egregiam Sauppii restitutionem sequimur, haec verba insunt (v. 17—19): *γράψαι [δὲ ταῦτα ἐν στήλ-*
ῃ καὶ καταθεῖναι ἐμ πόλει, κα[ταθέντων δ' ἄλλ-
ην στήλην οἱ ἄποικοι σφῶν α[ὐτῶν ἐμ πόλει [1]).

---

1) Haec restitutio, quam Sauppius, praeceptor carissimus, in scholis mecum communicavit, magis placet quam ea, quam ante (Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1853 S. 37 proposuit:

πα[ρατιθέντων δὲ
ἐν στήλῃ οἱ ἄποικοι σφῶν α[ὐτῶν ὀνόματα,

quia, ut ipse Sauppius (p. 42) intellexit, ante *ὀνόματα* articulus desideratur, et facilius credendum esset, nomina colonorum in eadem columna adscripta vel subscripta esse, id quod saepius de iis praescribitur, ad quos decretum aliquod pertinet (cf. Rang. 478, 676, 880, Ephem. 4079 sqq.). Qua de causa Sauppius nunc putat, literam *Π*, quae in fine versus 18 exstat, in *Κ* esse mutandum. Rangabei autem lectioni

καὶ καταθῆναι ἐμ πόλει πα[ρὰ τῇ Πολιάδι

non minus, quam conjecturae Pittakis (in Ephem. Arch. Nr. 1103) *πα[ρὰ τὴν θεόν* id obstare, quod, si alterutram accipimus, sequentes versus non ita, ut et grammaticis regulis et sensui satisfaciant, expleri possint, recte Boeckhius (Ber. d. Berl. Akad. 1853 p. 158) ostendit. Neque tamen ipse recta supplendi ratione usus esse videtur. Nam si cum eo legimus

πα[ρὰ δὲ αὐτὴν ἄλλ-
ην στήλην οἱ ἄποικοι σφῶν αὐ[τῶν θέντων,

offendimus in collocatione verborum *σφῶν αὐτῶν*, neque intelligimus, quaenam a l i a columna colonis in ipsa urbe ponenda fuerit, vel cur eam *χαριστήριον* illorum fuisse cum Boeckhio (l. l.) statuamus. Omni vero probabilitate caret, quod nuper K. G. Boehnecke (Demosth. Lycurg., Hyperid. u. ihr Zeitalter, Berlin 1864 p. 343. 347. 358) suspicatus est:

γράψαι [δὲ ταῦτα ἐν στήλ-
ῃ καὶ καταθεῖναι ἐμ πόλει πα[ρὰ Ἀκροπόλει,
ἣν στήλην οἱ ἄποικοι σφῶν α[ὐτῶν ἀναθῶσι.

Nam verba *ἐμ πόλει* significare acropolin (vide supra p. 20), hominem

Idem fere sensus inest in lectione, quam Pittakes (Ephem. Arch. Nr. 1616) proposuit:

πα[ρὰ δ'αὐτοῖς ἄλλ-
ην στήλην οἱ ἄποικοι σφῶν α[ὐτῶν θέτωσαν.

Ex quo apparet, columnam non solum Athenis in arce (et prope Erechtheum quidem, ubi titulus repertus est), sed aliam quoque a colonis Breae ponendam fuisse, ut ibi pila primum conditae urbis monumentum atque originis ejus quasi testis esset. Συγγραφάς (v. 15) autem, quae ad coloniam deducendam et ab hostibus defendendam pertinebant, neque a tota Atheniensium confoederatione (Boeckh. l. l. p. 157) ortas, neque cum Thraciae urbibus Breae finitimis, quas Sauppius et Pittakes in versu 14 (βοηθεῖν τ[ὰς πόλεις ἑτοιμότατα] vel [προθυμότατα]) commemorari putant, initas esse, recte monuisse videtur Boehneckius [1]), qui ipse de pactis inter colonos et στρατηγόν coloniae praepositum cogitat. Maluerim tamen non solum ducem, sed totum Atheniensium populum intelligere, qui cum civibus Bream emigraturis pepigerint, quaenam officia Athenienses Breensibus, quaenam coloni metropoli praestituri essent, et haec efficienda duci mandaverint [2]).

Talia pacta apud Graecos jam antiquitus inter colonos et metropolin conventa et in monumentis conscripta esse, probatur exemplo Locrorum Epizephyriorum urbis a Graeciae Locris in Italia conditae, de qua Timaeus Tauromenius apud Polybium (XII, 9) narrat, vidisse se in Locride συνθήκας ἐγγράπτους, ἔτι καὶ νῦν διαμενούσας, πρὸς τοὺς ἐξαπεσταλμένους, αἷς ὑπογεγράφθαι τὴν ἀρχὴν τοιαύτην „ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα" . . . et δόγματα καθ' ἃ πολιτείαν ὑπάρχειν

---

doctum prorsus fugisse videtur; quod autem in arce (ἐμ πόλει) ponitur, non simul prope arcem (παρὰ Ἀκροπόλει) poni potest. Accedit, quod nullo exemplo probatur, tituli Athenis ut παρὰ Ἀκροπόλει collocentur, praescribi. Rectissime igitur Sauppius in exitu versus 18 quaesivit commemorationem alterius columnae a colonis collocandae neque tamen Athenis sed Breae erigendae.

1) l. l. p. 356.

2) Tale aliquid etiam Rangabeo in mentem venisse videtur hunc locum ita vertenti (II p. 404): que (la ville) vienne aussitôt en aide.

ἑκατέροις παρ' ἑκατέροις. Quamquam igitur Polybius (XII, 6) dicit, Locris Italis nulla esse pacta cum Graecis, et Timaei fidem omni modo impugnare studet, tamen illud ab eo vix prorsus inventum est, sed, etiamsi ponimus, revera in Locride non fuisse *στήλην παραδόσιμον* (XII, 10), ex analogia aliarum coloniarum haustum esse videtur.

Nonnunquam etiam factum est, ut pacta ab Atheniensibus in compluribus exemplaribus et compluribus locis inscriberentur (cf. p. 22). Sic foedus, quod Athenienses a. 357 cum nonnullis Euboeae urbibus junxerunt, poni jubetur *ἐν Ἀκροπ[όλει καὶ πρὸς τῷ νεωσοί]κῳ ἐν τῷ λιμένι* (Rang. 392). Causa, cur praeter consuetudinem alterum exemplar loco profano et in Piraeo quidem collocaretur, fortasse in eo posita erat, quod commercium inter Athenas et Euboeam, quae insula antea per aliquantum temporis a Thebanorum partibus steterat, nunc restitutum esse columna, quae pacta continebat, in portu ponenda nautis indicandum erat. Idem intendebatur, cum, quae de frumento ex Ponto Athenas importando cum Leucone Bospori rege convenerunt, in Bosporo, in Piraeo, prope Hieron stelis inscriberentur (Dem. Lept. §. 36). Quamquam enim singula psephismata de Leucone, sicut more postulabatur, in arce ponebantur tamen omnia decreta huc pertinentia in apographis (*στήλας ἀντιγράφους ἐστήσαθ' ὑμεῖς κἀκεῖνος* Dem. l. l.) talibus locis, ubi nautis frumentum advehentibus conspicienda erant, collocata sunt, ut in portu Athenarum et prope Hieron promontorium in introitu Ponti situm, ubi erat templum Jovis Urii [1]), et in ipso Bosporo Cimmerio, ubi regnabat Leucon.

§. 7.

Restat, ut de fictis foederibus nonnulla afferam. Nam ea quoque, ut aliquam veritatis speciem prae se ferrent, pilis inscripta esse dicuntur. Sic Aristophanes Dicaeopoli, quem cum Peloponnesiis pacem ineuntem fingit, haec tribuit verba (Acharn. v. 727 sqq.):

Ἐγὼ δὲ τὴν στήλην καθ' ἣν ἐσπεισάμην
μέτειμ', ἵνα στήσω φανερὰν ἐν τἀγορᾷ.

---

1) cf. Westermann ad Dem. Lept. l. l.

Ex quibus ne conclude, vera foedera in foro posita fuisse. Nam cum Dicaeopolis id tantum intersit, ut restituta pace rursus cum Peloponnesiis, Megarensibus, Boeotis libero commercio uti liceat (v. 623), hac de causa in foro, cujus terminos ipse constituit, pilam erigit.

Huc etiam retulerim pacem, quae vulgo fertur Cimonica, et quae Athenis in pila inscripta fuisse a Theopompo (Harp. v. Ἀττικοῖς γράμμασιν) traditur. Utrum autem Persarum rex certo foedere sese obstrinxerit, ne fines quosdam navibus exercituve transgrederetur, an solo Atheniensium metu fines illos per aliquod tempus non transgressus sit, jam antiquis scriptoribus ut Callistheni (apud Plut. Cim. 13) et Theopompo (l. l. et apud Theonem in progymn. II, 7 cf. Rhet. Gr. I, p. 162 Walz) fuit dubitationi. Nostra aetate homines docti nonnulli ex eo, quod pax apud Herodotum, Thucydidem, Aristophanem non commemoratur, concluserunt, illam postea ab oratoribus, qui dicuntur panegyrici [1]), fictam esse, ut gloria, quam ex ea nacti essent Athenienses, opponeretur ignominiae, quae Lacedaemoniis ex pace Antalcidea orta esset [2]), et id, quod revera factum esset, etiam quasi foedere firmatum crederetur [3]).

---

1) Sic primum ab Isocrate in Panath. §. 59. Cf. Rauchenstein ad Panegyr. §. 120. Ea enim, quae Andocides (III, 28 sqq.) in oratione »sive errorum sive commentorum plena« de foedere Epilyco legato cum Persis icto dicit, ad tempus ante bellum Siciliense referenda esse, ostendit Bemmannus in recognitione quaestionis de pace Cimonia (Berol. 1864) p. 24 sqq.

2) De pace dubitaverunt, ut alios omittam: Dahlmann, Forsch. auf d. Gebiete d. Gesch. I, p. 40 sqq.; Krüger, hist. phil. Stud. I, p. 74 sqq.; Bemmann l. l. p. 47; E. Curtius, Griech. Gesch. II, 167 sqq.

3) Etiam de tempore, quo ἡ περιβόητος εἰρήνη ἐκείνη (Plut. Cim. 13) facta sit, dubitatur, cum Lycurgus (adv. Leocr. §. 73), Plutarchus, Ammianus Marcellinus (17, 11, 3), Suidas (v. Κίμων) eam post victoriam prope Eurymedontem reportatam ponant (Krüg. p. 125), Diod. (XII, 2 sqq.) vero post expeditionem Cypriacam, cujus narratio utrum ex Ephoro fluxerit an ex alio fonte minus sincero, vix est, qui nobis demonstret (cf. Bemm. p. 45 sqq.). Aequalium autem pacis traditionem defendendam susceperunt imprimis Grotius (Gesch. Griech. III, p. 260 sqq. vers. German.), Aemilius Müllerus in museo Rhenan. 1859 p. 151 sqq., Herm.

Quin autem pila ad pacem illam ὑπὸ πάντων θρυλουμένην pertinens affuerit, dubitari non potest, cum ipse eam inspexerit Theopompus, et Craterus apographum ex ea descriptum decretorum collectioni suae inseruerit (Plut. Cim. 13). Quae pila quo tempore erecta est? Theopompus dicit, literas in ea fuisse Ionicas, quae non ante annum 403 in usum publicum receptae sunt, et hac de causa columnam subditiciam esse existimat. Prorsus spernenda est sententia eorum, qui putant, pactionem, ut facilius ab Ionibus, ad quos pertineret, legeretur, aut literis Ionicis [1]) aut dialecto Ionica [2]) conscriptam esse, neque, si quidem pax non inita est,

---

Hiecke, de pace Cimon. (Gryphisw. 1863), cui tamen Athenienses Ionum libertate neglecta nil aliud constituisse videntur nisi pactionem quandam mercatoriam. Praeterea cum pace, quae fertur Cimonia, nonnulli Graecorum scriptores conjungunt legationem Calliae, qui auctore Herodoto (VII, 151) Susae cum Artaxerxe Longimano de pactionis conditionibus egisse traditur, (cf. Dem. de f. l. §. 273; Paus. I, 8, 2; Suid. v. Καλλίας). Sed cum antiquiores scriptores et imprimis Thucydides in summario rerum inter bella Persica et bellum Peloponnesiacum gestarum de pace nil tradant, quod silentium Hieckius (p. 21) et Grotius (p. 261) frustra nihili ducunt, Herodoti vero (VI, 42) testimonium, quo usque ad ejus aetatem urbes Ionicae tributa ab Artapherne imposita semper pependissent (cf. Bemmann p. 9; Boeckh, Staatsh. II, 662), cum pace pugnet, deinde cum Calliae legatio ab Herodoto (VII, 151 λέγουσί τινες Ἑλλήνων) et a Pausania (l. l. ὡς Ἀθηναίων οἱ πολλοὶ λέγουσι) non sine dubitatione aliqua proferatur (cf. Bemmann p. 48 contra Aem. Müllerum l. l. p. 153), et Callias, qui jam in pugna Marathonia δᾳδοῦχος erat, vix septuaginta annos natus Susam missus sit, (Krüger l. l. p. 132) neque Demostheni credi possit, locupletissimum Athenarum civem (Plut. Arist. 25) a Persis donis corruptum esse (Meier, de bonis damnat p. 120 sqq.): eo potissimum inclinaverim, ut non solum cum Callisthene et Theopompo pacem fictam habeam, sed etiam Calliae legationem illam (quam tamen defendit Ern. Curtius in hist. gr. II, 168 sqq.) posterioribus temporibus falso tributam (Boeckh, Staatsh. I, p. 504) aut ab eo alio tempore et alia de causa susceptam (Bemmann p. 51) esse statuam. Neque enim post victoriam apud Eurymedontem reportatam, quo tempore Cimon floruit, Athenienses egisse cum Persis (Curtius l. l. Grote III, 265), neque post expeditionem Cypriacam, quae ad irritum fere cecidit, Persas ad pactionem cum Atheniensibus instituendam propensos fuisse (Krüg. p. 128) verisimile est.

1) Grote l. l. III, 264. 2) Meier, de bon. damn. p. 118.

Hieckio assentiendum est, qui de duplice columna cogitat de priore genuina Atticis literis conscripta, quam aspexerit Isocrates et de posteriore post interitum genuinae denuo posita falsisque pacis conditionibus aucta, quam cum alii posteriores tum Theopompus ante oculos habuerint. Errat enim Hieckius (p. 20 28.) inscriptionem ab Isocrate[1]) commemorari dicens. Sin autem columna his temporibus affuisset, Isocrates Demosthenes aliique vix omisissent auditorum animos ad celeberrimum Athenarum monumentum relegare. Quod si recte disputavi, hoc comprobasse mihi videor, neque ante Euclidem neque Isocratis tempore pacem cum Persis initam columnae inscriptam fuisse. Contra enim, cum oratorum studio pacis illius quasi revera factae fama magis magisque increbruisset, ad omnem dubitationem dirimendam monumentum publicum erectum, et columna non quasi nova, ne unusquisque fraudem perspiceret, sed quasi ante eversa tum autem reficienda[2]) posita esse videtur. Quae autem in columna inerant, ad formam justae pactionis accesserint necesse est; nam si nil nisi »epigramma quoddam« (Hiecke p. 30) in pila insculptum fuisset, ne unus quidem Atheniensium, qui legitimam psephismatum formam novit, monumentum non fictum habuisset, neque Craterus[3]) *ἀντίγραφα συνθηκῶν* actorum publicorum collectioni inserere potuisset[4]).

---

1) Columna, quae in Panegyr. §. 176 affertur, ad pacem Antalcideam pertinet (Krüger p. 108). Neque omnino Isocratis tempore exstitisse pactionis monumentum, concludas ex Paneg. §. 120, ubi orator *τὰς συνθήκας τάς τ' ἐφ' ἡμῶν γενομένας καὶ τὰς νῦν ἀναγεγραμμένας* inter se opponens ad pacis Antalcideae provocat monumentum, pacis autem Cimonicae non tanquam literis mandatae sed nonnisi factae facit mentionem (cf. Bemmann p. 26). Qua de causa etiam ii a vero aberrare videntur, qui aut, bello inter Persas et Athenienses ex anno 412 vel 407 iterum exorto, pilam antea publice propositam eversam esse statuunt (Aem. Müller l. l. p. 158), aut columna Isocratea non monumentum Athenis propositum sed translatione quadam admissa ipsam pactionem significari censent (Dahlmann, Forsch. p. 46).

2) Mutuatus sum hanc argumentationem a Krügero (p. 82).

3) Plut. Cim. 13. 4) Bemmann l. l. p. 44. Ibid. p. 41 sqq.

Etiam de loco, ubi columna posita erat, licet conjecturam facere. Cum enim in meridionali fori parte stetisse statuas Calliae et Pacis ex Pausania (I, 8, 2) sciamus, et cum fama Calliam conjungeret [1]) cum pace, quae dicitur Cimonica, fortasse non alienum erat, columnam de ficto foedere Calliae statuae apponere. Cum autem Calliae statua sicut Demosthenis et Lycurgi monumenta, Boeckhio judice [2]), post Demosthesthenis tempora erecta sint, quid verisimilius est, quam una cum illis pilam subditiciam esse positam?

Neque tamen desunt exempla, quibus probetur, Graecos revera interdum titulos antiquiore literatura conscriptos in novam literarum formam transcripsisse, ut titulum Trallianum (C. I. 2919) de asylo in Dionysi sacro constituendo, qui quamquam septimum Artaxerxis annum (Artaxerxis Ochi secundum Boeckhium ad h. tit. p. 584 = a. 351) praescriptum habet, tamen literarum formam praebet novissimam. Qua de causa Boeckhius [3]) in opinionem incidit, inscriptionem, cujus literae paullatim exstinctae fuissent, ad asylum tuendum Tiberii temporibus refectam, vel apographum ejus esse factum.

§. 8.

Sed columnae, quibus foedera inscripta erant, num prorsus intactae stabant, an nonnunquam aliquo modo mutabantur vel omnino tollebantur? Saepissime in pactionibus praescribebatur, ut, si quid novi postea inter utramque civitatem conveniret, aut aliquid vel addendum vel demendum utrique placeret, hoc ratum esset, atque prioribus praeceptis in pila adscriberetur [4]). Sic legimus in foederibus apud. Thucyd. V,

---

quae Hieckius contra judicium Theopompi non solum monumento sed ipsi paci suspicionem moventis et de duabus columnis altera genuina, altera renovata excog itavt, acute refelluntur.

1) Quocum convenit, quod post pacem initam Paci aram exstructam et Calliae summos honores tributos esse rumore ferebatur (Plut. Cim. 13).

2) in oecon. civ. I, 347 sqq. 504. — Pacis statua a Cephisodoto confecta priori tempori tribuatur necesse est, quia Cephisodotus floruit Ol. 97—104. Cf. oec. civ. II, 131. O. Müller, Archaeol. d. Kunst p. 102.

3) Ber. d. Berl. Akad. 1854. S. 427.

4) Krüger, hist. philol. stud. II p. 241.

18: *εἰ δέ τι ἀμνημονοῦσιν . . . εὔορκον εἶναι ἀμφοτέροις ταύτῃ μεταθεῖναι ὅπῃ ἂν δοκῇ ἀμφοτέροις.* ibid. c. 23: *ἢν δέ τι δοκῇ Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις προςθεῖναι καὶ ἀφελεῖν κτλ.* ibid. c. 47: *ἐὰν δέ τι δοκῇ ἄμεινον εἶναι ταῖς πόλεσι ταύταις προςθεῖναι πρὸς τοῖς ξυγκειμένοις . . . τοῦτο κύριον εἶναι·* sic apud Andoc. de pace, quam commendat cum Lacedaemoniis ineundam (III, 40): *εἴ τι τυγχάνει μὴ καλῶς ἔχον, ἔξεστι γὰρ ἀφελεῖν· τοῦτο δ' εἴ τις προςθεῖναι βούλεται πείσας ὑμᾶς προςγραψάτω·* et foedus inter Romanos et Antiochum Magnum a. 189 factum (Polyb. XXII, 26 fin.) his verbis finitur: *ἐὰν δέ τι θέλωσι πρὸς τὰς συνθήκας ἀμφότεροι κοινῷ δόγματι προςτεθῆναι ἢ ἀφαιρεθῆναι ἀπ' αὐτῶν, ἐξέστω* [1]). Idem additur in jurejurando, quo Philippus Macedonum rex cum Carthaginiensibus junctus est (Pol. VII, 9) et in pacto Pariorum et Allariotarum (C. I. 2557). Talia autem, quae addenda vel mutanda erant, non in nova columna inscripta, sed in ea, quae jam antea proposita erat, adscripta vel subscripta esse concludi potest ex Aristophane, qui fingit Athenienses hac de re consulentes in Lysistrat. v. 512: *τί βεβούλευνται περὶ τῶν σπονδῶν ἐν τῇ στήλῃ παραγράψαι* et ex populiscito apud Pseudo-Plutarchum in vita Antiphontis (vit. x or. p. 29 Westerm.) servato, quo Antiphon proditionis causa, rogante Androne, in jus vocatur, cui decreto in eadem [2]) columna deinde subscripta est ipsa oratoris dam-

1) Idem hoc de foedere apud Livium legitur (38, 38): »in hoc quoque foedere adscriptum est, . . . si quid postea addi, demi, mutarive placuisset, ut id salvo foedere fieret«. Neque tamen semper concessisse Romanos, ut pacis leges postea aliquo modo mutarentur, docetur pace cum Latinis facta, cui Dionysio Halic. (VI, 95) auctore hoc postscriptum erat: *ταῖς δὲ συνθήκαις ταύταις μηδὲν ἐξέστω προςθεῖναι μηδ' ἀφελεῖν ἀπ' αὐτῶν.* Fortasse nonnisi cum Graecis paciscentes Romani illorum morem in concedendis mutationibus secuti sunt.

2) Sic intelligitur, cur alteri decreto de damnatione desint praescripta. Cum autem in priore omissa sint postscripta, utrumque psephisma eodem tempore lapidi incisum esse videtur. Verba *τούτῳ ὑπογέγραπται κτλ.* non ipsius decreti sunt, sed Caecilii Calactini, qui illud sive ex lapide descripsit, sive e tabulario deprompsit. Num autem auctor vitarum decreta vitis addita, quae non omnia integra sunt (Franz. elem. p. 321), ex ipso Caecilio aliisve, qui illorum collectiones curaverunt,

natio (*τούτῳ ὑπογέγραπται τῷ δόγματι ἡ καταδίκη*). Luculentissimum autem exemplum inest in titulo Cretico (C. I. 2554), quo conceditur, ut pacta mutare et nova addere liceat (v. 84 sqq.), deinde autem in fine ejusdem lapidis decretum postea factum continetur. In illo enim placuit Latiis et Olontiis ad amicitiam etiam symmachiam et mutuam civitatem addere (*προςθέμεν πρὸς τὰν φιλίαν καὶ συμμαχίαν καὶ ἰσοπολιτείαν*), et ea, quae tum constituta sunt, *προςγράψαι πρὸς τὰς προϋπαρχώσας αὐτοῖς στάλας* [1]).

Addiderim nonnulla decreta pagorum de locationibus, quae, quamquam proprie huc non pertinent, tamen praeclara exempla rerum postea lapidibus adscriptarum praebent, ut titulum in C. I. 93 duo decreta Aexonensium continentem, qui in altero agrum locantes, in altero, cum oleas in illo positas hastae subjecerint, usurarum dimidiam partem de conductionis pretio conductoribus remittentes, posterius decretum in eadem columna, in qua inest prius, subscribunt. Quod autem in altero praescribitur, ut remissa locationis summa tabulis adscribatur (*ἐγγράψαι ἐν ταῖς στήλαις τοσούτῳ ἐλάττω τὴν μίσθωσιν*), casu aliquo postea omissum esse videtur (cf. Boeckh ad h. tit. p. 133). In alio titulo (C. I. 102), quo Piraeenses theatrum suum locant, destinatur, ut nomen ejus (in latere pilae) adscribatur, *παρ' ᾧ ἂν κεῖωνται αἱ συνθῆκαι*. *Συνθήκας* autem ne intellige de lapidibus, qui in foro poni jubentur (*ἀντίγραφα τῶν συνθηκῶν* cf. v. 8) sed de *αὐτογράφῳ* pacti cerae vel chartis inscripto, quod in domo fortasse demarchi vel alius magistratus custodiebatur. Cum enim pagi non semper iisdem magistratibus uterentur, nomina eorum, quibus literae asservandae erant, adscribenda erant.

Nec minus factum est, ut de foederibus, quorum leges jam conscriptae erant, postea aliquid demeretur. Nam cum

---

(C. I. praef. p. VIII) hauserit, an interpositis aliquot interjacentium scriptorum gradibus ab homine docto posterioris temporis mutuatus sit (M. Meier, de Lycurgo ed. Kiessling p. CXIV), dijudicari nequit. — De stelitarum incribendorum ratione vide infra disp.

1) cf. Hoeck, Creta III, 479 et Boeckh ad C. I. vol. II p. 409.

inter Lacedaemonios aliasque Graecorum civitates pacis conditiones jam constitutae essent, Epaminondas postulavit, ut pro Thebanis Boeoti paciscentes inscriberentur [1]), qua re iratus Agesilaus Thebanos prorsus a foedere excludi jussit (εὐθὺς ἐξαλεῖψαι τὸ τῶν Θηβαίων ὄνομα τῆς εἰρήνης Plut. Ages. 28).

Quid autem, si foedera non mutabantur, sed prorsus rumpebantur? Nullane ratio tum monumentorum, in quibus pacta inscripta erant, habebatur? Thucydides narrat (V, 56), Athenienses, cum Lacedaemonii spretis legibus pacis auctore Nicia initae Epidauro urbi praesidium imposuissent, suadente Alcibiade subscripsisse τῇ Λακωνικῇ στήλῃ ὅτι οὐκ ἐνέμειναν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς ὅρκοις [2]). Στήλη autem Λακωνική non est columna, quae Lacedaemone, neque illarum aliqua, quae

1) Xen. Hell. VI, 3, 19: προςελθόντες πάλιν τῇ ὑστεραίᾳ οἱ πρέσβεις αὐτῶν ἐκέλευον μεταγράφειν ἀντὶ Θηβαίων Βοιωτοὺς ὀμωμοκότας Quod autem Xenophon dicit, Thebanos primum suo nomine foederi accessisse, deinde τῇ ὑστεραίᾳ Boeotorum nomen substitui (μεταγράφειν) jussisse, non prorsus accurate a scriptore enarratum esse libentissime A. Schäfero (Demosth. I p. 67) concedam. Nam ex quo Thebani, Lacedaemoniorum praesidio expulso (a. 379), in majores opes creverant, postulabant, ut Thebae pro confoederationis Boeotiae capite haberentur, et negabant, alias Boeotiae urbes αὐτονόμους esse. Sic non solum anno pugnae Leuctricae (371), sed jam antea, cum de pace Antalcidea ageretur, ἠξίουν ὑπὲρ πάντων Βοιωτῶν ὀμνύναι (Xen. Hell. V, 1, 32) et a. 374 pacem, quam Graeci inter se conciliaverunt, κατὰ πόλιν (Diod. XV, 38) faciendam detrectaverunt (A. Schäfer l. l. p. 48). Qua de causa vix putaverim, Thebanos anno 371, quod paullo ante postulaverant, oblitos primum suae urbis nomen foederi subscribi concessisse, τῇ ὑστεραίᾳ autem consilium mutasse, neque in partes W. Vischeri (Neues Schweiz. Mus. 1864 p. 303) transire possum, qui artificio quodam rem ita explicat, ut illi nomen Θηβαῖοι subscribentes hoc de tota confoederatione intellexerint, deinde autem, cum Agesilaus id non ita acciperet, Boeotos subscribi jusserint. Cui conjecturae praeter alia, quae attuli, etiam id obstat, quod Plutarchus (Ages. 27) statim inter Epaminondam et Agesilaum controversias exortas esse tradit, et quod Diodorus (XV, 50) causam, cur soli Thebani a foedere exclusi sint, eam esse dicit, quod τὴν Βοιωτίαν ὑπὸ μίαν ἄγοντες συντέλειαν οὐ προςεδέχθησαν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων.

2) cf. K. W. Krüger ad Dionys. Historiogr. p. 351.

in communibus sacris[1] positae erant (eas enim tangere Atheniensibus vix licebat), sed ea quae ipsis Athenis stabat (ἣν ἔστησαν οἱ Ἀθηναῖοι ἔχουσαν τὰς Λακωνικὰς σπονδάς Scholl. ad Thuc. l. l.). Talia autem, foedere violato, columnae non ex more apud Athenienses vulgo recepto subscripta esse videntur, sed ex Alcibiadis arbitrio et licentia, cujus intererat, ut pax, qua Athenienses et illo tempore (a. 418) et sequentibus annis nonnisi per speciem cum Lacedaemoniis utebantur, tanquam prorsus rupta indicaretur. Solemnis enim ritus, quo significabatur, rupta esse foedera pacemque finitam, is erat, ut pilae everterentur vel destruerentur. Cujus rei exempla affero locos apud Dem. 16, 27, ubi orator eos refellit, qui dicunt, ὡς δεῖ τὰς στήλας καθελεῖν αὐτοὺς τὰς πρὸς Θηβαίους et 20, 37, ubi cives adhortatur, ne viderentur τας στήλας (quibus honores Leuconi tributi continebantur cf. p. 32) ἑστώσας ἀκύρους[2]) πεποιηκότες, ὃ πολὺ δεινότερον τοῦ καθελεῖν. Idem ritus etiam aliis civitatibus erat, velut Mitylenaeis et Tenediis, quos, cum Alexandri partes secuti essent, Pharnabazus et Autophradates post Memnonis mortem classi Persarum praefecti sub legibus pacis Antalcideae iterum subjecerunt atque jusserunt καθελεῖν μὲν τὰς πρὸς Ἀλέξανδρον σφίσι γενομένας στήλας, ξυμμάχους δὲ εἶναι Δαρείου (Arr. Anab. II, 1. 2). Huc non minus pertinet titulus Eresi urbis Lesbiacae a Conzio[3]) nuper repertus, quo praescribitur, ut, qui de redituris Agonippi tyranni[4]) filiis propinquisque populum rogaret, esset

1) Vide supra §. 3. Dissentio ab Ern. Curtio (Gr. Gesch. II, 534), qui de columna Olympiae deposita cogitat.

2) Ex hac consuetudine intelligitur, quomodo factum sit, ut vocabulum στήλη translato sensu idem significet ac συνθήκη. Quamdiu enim pilae stabant, foedus intactum, si vero evertebantur, pax rupta erat. Sic dicitur παραβῆναι τοὺς ὅρκους, τοὺς νόμους, τὰς στήλας (Polyb. XXVI, 1); τὰς στήλας ... κυρίας ἐᾶν (Dem. 20, 64); cf. Arist. techn. rhet. ad. h. l. (Walz, rhet. gr. IX, 356), et in titulo Cretico (C. I. 2556 v. 7) legitur: Ἱεραπύτνιοι καὶ Πριάνσιοι [ἐμμένον]τες ἐν ταῖς προϋπαρχώσαις στάλαις (cf. p. 16).

3) Reise auf der Insel Lesbos 1865 p. 35 sqq.

4) De Agonippo aliisque tyrannis Lesbi regnantibus vide Sauppium apud Conzium. l. l. p. 38.

ἔν[ο]χος ... τῷ νόμῳ [τῷ] τὰν στάλλαν
ἀνελόντι τὰν περὶ τῶν τυρ[άν]νων καὶ τῶν ἐγγ[όν]ων.

Unde colligitur, Eresi aliquando fuisse columnam, in qua praecepta de tyrannide ibi constituta inscripta erant, deinde autem, cum ab Hegelocho (Arr. Anab. III, 2) tyrannis expulsis imperium populare institutum esset, legem perlatam esse, qua pila illa eversa esset.

Nonnunquam tamen, etiamsi foedera rupta erant, columnae non tangebantur, id quod tum imprimis factum esse videtur, cum pacta non certo temporis puncto violarentur, sed sensim, modo hac modo illa controversia orta, negligerentur. Sic, quamquam leges pacis Antalcideae (cf. p. 11. 35) identidem a Lacedaemoniis spretae essent, tamen stetisse columnas testatur Isocrates in Paneg. §. 176 πάλαι λέλυται καὶ μάτην ἐν ταῖς στήλαις ἐστίν. Idem accidit tabulis, quibus foedera Atheniensium cum Lacedaemoniis (a. 445) et cum Argivis Mantineensibus Eleis (a. 420) inita Olympiae inscripta erant (p. 10 sqq.). Quamquam enim foedera paucis annis post vel rupta vel irrita facta sunt, tamen Pausanias (V, 23, 4; 12, 8) aspexit tabulas. Neque omnino exemplaria Olympiae deposita tam facile destrui poterant, quam ea, quae in ipsis urbibus paciscentium stabant, quia illa sanctitas loci tuebatur, neque ulli civitati perdere licebat, quae Jovi in communi Graeciae sacro dedicata erant.

Neque ad actorum publicorum memoriam apud cives retinendam quibusdam populis suffecisse videtur sola columnarum collocatio. Nam apud Cretenses, quos omnino in literis publicis custodiendis diligentissimos fuisse supra (§. 5) vidimus, Cosmi quotannis inter dies festos [1]) pacta ex columna recitare et cives denuo jurejurando adigere, instituendam autem recitationem decem diebus ante pronuntiare jubentur, ut etiam posteris quam saepissime foederum a majoribus

1) Apud Latios et Olontios ἐν Θευδαισίοις in honorem Dionysi celebratis, cf. C. I. 2554 v. 30 sqq. et Boeckhium ad h. tit. p. 407; apud Hierapytnios eorumque colonos ἐν τοῖς Ἡρ[ω]ϊκ[οῖ]ς καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς C. I. 2556 v. 38 sqq. et p. 415. De hoc Junonis festo vide Hoeckium l. l. III p. 313.

initorum cognoscendorum copia daretur. Quod ne unquam omitteretur, constitutum est, ut Cosmis officio illi non satisfacientibus centum stateres (C. I. 2556 v. 45; 2554 v. 49) pendendi essent. Cujus consuetudinis Cretae receptae cum in aliorum Graecorum tum in Atheniensium titulis nullum exemplum invenitur. Neque omnino fieri poterat, ut apud Athenienses, qui cum tot civitatibus foederibus juncti erant, omnia pacta quotannis recitarentur.

(Reliqua propediem edentur).